BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 A
4 h

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14 14
C C
30 47



ANTVERPIÆ Typis viduæ Cnobbarti. 1646.

Coll. Rom. Soc. Jesu Bibl. Serv.

ADMODVM REVERENDO
IN CHRISTO PATRI NOSTRO
VINCENTIO CARAFÆ
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI.

Cùm Græcorum Patrum in Pſalmos Expoſitioni (quæ recens Plantinianis typis lucem aſpexit) extremam manum adhibuiſſem, nec quidquam ἀνέκδοτον, quod è Græco in Latinum verterem, pro tempore haberem, animum ad S. DOROTHEVM novâ hâc interpretatione notiſque illuſtrandum appuli.

Hoc ut facerem multa ſuadebant: ac in primis ipſummet argumentum operis ſpiritale in paucis; tum Auctoris ſanctimonia, & in aſceticis peritia prorſus ſingularis, quam viri doctiſſimi præcedentium interpretum erroribus (quos è pluribus aliquos in Myſtagogo ſuo notat Creſollius.) infu-

ſcari non immeritò querebantur. Hos autem omnes emendare non minus difficile videbatur, quàm novam de integro adornare verſionem: quare hoc illo ſatius duxi.

Accedit quòd dum ſermonis (quã in autographo ſuo pius Auctor deditâ operâ neglexit) elegantiam affectant, vim ſpiritus, quæ iis ineſt maxima, eneruent. Quæ ferè potiſſima fuit ratio, cur non diſſimili à Græco textu, id eſt ſimplici oratione ac ſtylo, Aſceticas haſce Inſtitutiones mihi transferendas putaverim, utpote *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis* ſitas. Et certè quiſquis eas non curſim aut oſcitanter, ſed animo ſedato & ad earumdẽ ἄσκησιν inflammato lectitarit, quantum in iiſdem ad omnem virtutem, ipſamque adeò religioſæ vitæ perfectionem adipiſcendam ſubſidij ſitum ſit luculenter experietur.

Quò igitur plures DOROTHEI, hoc eſt divini huius doni participes exiſterent, novam hanc editionem adorna-

orna-

ornavi,quam Paternitati Tuæ admodum Reverendæ non ſine divino ſimiliter munere,omnium noſtrum ſolatio ac voto in Societatis caput recens conſtitutæ, lubens meritò dico conſecroque: ut ſic Tuo ac in primis Sancti Patris noſtri Fundatoris IGNATII exemplo (cui, ex eiuſdem aureo exercitiorum libello, doctrinas haſce perquam familiares extitiſſe compertum eſt) reliqui quoque ſocij omnes in aſceticarum harum inſtitutionum lectionem exercitationemq; impenſius incumbentes, cùm ipſimet ad præfixum ſibi perfectionis apicem facilius pertingant, tum alios ſecum plures ad eumdem ſecurius adducāt. Quod uti ex animo deſidero, ita Deus Opt. Max. faxit, qui R.P.T. ſervet ac ſoſpitet Ecclſiæ ſuæ ac nobis quàm diutiſſimè incolumem. Antuerpiæ. v. Kal. Martij M. DC. XLVI.

Admodum Rev. Paternitatis Tuæ

Indignus filius ac ſervus in Chriſto,

BALTHASAR CORDERIVS.

EPISTOLA
Ad fratrem qui repertos S. DOROTHEI sermones sibi mitti postulabat.

Laudatur bonus erga Dorothei doctrinam affectus.

LAudo propositum tuum, frater desideratissimè, & ob boni studium beatam verè prædico benedictam, ac decori amantem animam tuam. Tam studiosè enim scrutari, tam syncerè laudare, beatum verè ac Deo dignum Patrem nostrum, qui à Dei dono nomen habet, hoc utique virtutem laudare est, secundùm quam adeò beatus evasit, & Deum dilexit, ac veræ vitæ curam gessit. Laus enim (ut ait beatus Gregorius) excitat æmulationem, æmulatio verò virtutem, virtus denique adfert beatitatem.

Mirum S. Dorothei studium perfectionis.

Congaudendum igitur ac verè congratulandum est huic tanto profectui tuo. Illius enim visus es vestigia premere qui imitator est verè mansueti & humilis corde, qui spiritalem Petri, & sequacium eius abnegationem considerans, ita sese omni visibilium affectu exuit, ita se suis secundùm Deum Patribus resignavit, ut & ipse cum fiducia, (quod rectè novi) ad Salvatorem dicere possit: Ecce nos reli-

qui-

quimus omnia, & secuti sumus te. Matt.19.27.
Vnde cum Dei auxilio perfectus in brevi, explevit tempora longa; non in sensibilibus quidem solitudinibus, ac montibus commoratus, nec feris carnivoris imperare pro magno reputans, sed animæ solitudinem amplexus, ac montibus æternis mirificè lucentibus appropinquare desiderans, & conculcare capita serpentum ac scorpionum animas occidentum. Quod & brevi promeruit Christi auxilio consequi per athleticam propriæ voluntatis interemptionem, quæ Patrum viam erroris expertem ipsi præmonstravit, & leve beatitudinis onus, ac salutare & reverà suave jugum ostendit. Vnde optimam celsitudinis viam didicit humilitatẽ, atq; id quod dicitur: Misericors esto & mansuetus, opere sermonem sanctorum seniorũ excipiens. His omnibus virtutibus exornatus; beatus ille semper illud in ore gerebat, quod à senioribus sanctis acceperat. Quicumque scilicet ad præcidendam propriam voluntatem studiosè intendisset, in locum quietis perventurum. Vt enim invenit, quod diligenter quæsiverat, omnium quidem perturbationum radicem esse suiipsius amorem, subamaræ nostræ vo-

Quæ sit via ad perfectionem.

volnntati cohærentem, efficaci hâc medidicinâ usus, radicem simul & mala germina penitus emaciavit, atque genuinus incorruptibilium frugum cultor evasit, nec non veræ vitæ fructus produxit, absco̅ditum in agro thesaurum, ritè à se quæsitum ac repertum poßidens, & bonis numquam evacuandis ditatus.

Vellem equidem idoneus satis esse, qui mente & linguâ possem sancti hujus viri vitam sigillatim exponere, in commune omnium commodu̅, & virtutis exemplar absolutißimum. Quo item pacto beatus ille angustam & latam, & prorsus admirabilem viam percurrerit idq́; citrà errorem & effusione̅; cavendo præcipitem in utraq; transgreßionem. Sic enim Dei amicus & verè Magnus Basilius angustiam afflictæ, ac salutaris viæ definit. Altera̅ verò tenuit per mortificationem, & erga eos qui ipsu̅ ad Deum deducebant, libertatem, ac præcipuè per humilitatis altitudine̅, quæ sola, juxtà magnum Antonium, omnibus diaboli laqueis superior existit, quare & ab ipso verißimè implebatur illud: Latum mandatum tuum nimis.

Psal. 118, 19.

Sed hoc tamquam impoßibile transilia̅. Novi enim ad reliqua beati hujus bona, *etiam*

etiam illa quæ externorum Philosophorũ dicuntur, accessisse, quæ tamquam verè sapiẽs apis in florilegio collecta, prout usus ferebat, diligenter pro opportunitate doctrinæ suæ intexebat. Quale est illud: Ne quid nimis, noſce teipſum. *atq; similia ad quæ non tam prudens propositũ, quàm impoßibilitatis neceßitas, sicut dictum est, me compellit.*

Cæterùm quod mihi diligens & ornatißima vestra jußit anima, hoc jam confidẽs feci, & gravitatem inobedientiæ suspectã habẽs, & socordiæ veritus punitionẽ. jamq; unà cum præsentibus litteris meis ad vos prudentes Dei trapezitas, talentum quod apud me otiosum erat, misi: repertas inquam B. Dorothei Institutiones, quas ipse à suis majoribus accipere dignus fuit, ac propriis discipulis tradidit, faciens & docens, ut primus & verus præceptor noster atque salvator. Etsi autem omnes sermones ejus reperire nequiverimus, sed admodum paucos, eosq; sparsim à quibusdam viris studiosis Dei providentiâ collectos: attamen satis fuerit dexteritati tuæ etjam hancce brevitatem proposuisse, juxtà illud: Da ſapienti occaſionem, & ſapientior erit. Prov. 9. 9.

PROLOGUS
IN S. DOROTHEUM.

Duo Dorothei & Barsanuphij quales?

SCiendum est duos fuisse Dorotheos, & duos Barsanuphios; atque illos quidem Severi erroribus infectos, hos verò rectam doctrinam, atque perfectam vitæ rationem complexos, qui & præsenti hoc libro continentur. Quapropter etiam hunc librum virtutis præcepta tradentem, & animæ maximè utilem, ut opus reverà Dorothei orthodoxi, & inter Patres conspicui admittere debemus, cùm non sit illius infidelis & perversi, quemadmodum etiam Pater noster & Christi confessor, *a* Theodorus Studiensis monasterij moderator sapientissimus, in suo ad discipulos testamento rectè docuit. Qui postquam suæ fidei sensum declaravit, & omnes ad unum atheos hæreticos anathemate damnavit, sic insuper subjūgit.

a Theodori Studitæ de Dorotheo testimonium.

Et universum tam antiqui, quàm Novi Testamenti librum divinitùs inspiratum, & prætereà omnium

sancto-

ſanctorum diviniloquorum Patrũ, Doctorumque & Aſcetarum vitas ac divina ſcripta ſuſcipio. Hoc autem dixi propter apertè perniciosum Pamphilum, qui ex Oriente adventitans, ſanctos illos viros, Marcum, Iſaiam, Barſanuphium, Dorotheum, & Heſychium calumniatus eſt. Nec verò ego cùm Barſanuphiũ, Iſaiam, Dorotheum nomino, illos Acephalorum propugnatores, qui & ipſi capite minuti ſunt, aut decaceratarum ſive decicornium conjuratos ſocios intelligo, qui à S. Sophronio tabellâ anathematis confixi ſunt, ſed alios videlicet illos ſupra nominatos, ab his diverſos, quos ego per examen ſanctiſſimi Patriarchæ Taraſij, jampridem *b* ſummo ſacerdotio fungentis, nec non aliorum fide dignorum hominum tam indigenarum, quàm Orientalium teſtimonio probatos, ex paterna traditione amplector. *b*

His accedit quòd imago Barſanuphij in divino ſacrario magni tẽpli unà cum ſanctis Patribus, Antonio, Ephraemo, aliiſque collocetur. *Antiquus uſus ponendi Patrum imagines in templo.*

 Quam-

Quamobrem cùm in horum doctrina nullam impietatem, ſed contrà potiùs magnum animarum ſubſidium, magnus parens noſter Theodorus deprehēderet, ecce certis limitibus utriuſque Dorothei ſententiam diſtinxit, & ejus, qui hoc libro continetur, doctrinam, velut utiliſſimam approbavit; quemadmodum reverà eſt animæ perquam utilis, ad cujus normam ſi quis vitam ſuam exactè direxerit, ad perfectam virtutis Chriſtianæ menſuram facilè perveniet, quâ obtentâ, vacuitatis paſſionum coronâ decorabitur, unaque cum ſanctis vitam æternam conſequetur.

NOTÆ CORDERI.

a THeodorus Studienſis *monaſterij moderator ſapientiſsimus.*] In Græco eſt Θεόδωρος ὁ τῶν Στουδίου πεφηνὼς πάνσοφος ἡγούμενος, ubi antiquus Interpres videtur ignoraſſe quid eſſet *Studium* Monachorum domicilium, cùm ita verterit. *Theodorus qui ſtudiorum omnium eruditione, & ſapientiâ præcellere putatur.* Debuit dicere: *Qui Monaſterij Studienſis fuit moderator.* Hic enim ἡγούμενος eſt præfectus Monaſterij & Monachorum. Græca vox

Lati-

Latinè posita est in vita S. Macarij Romani: *Vir clarissimus Asclepion hegumenus multorum extitit Pater Monachorum.* Στϰδιον autem fuit Constantinopoli Monasteriũ peregregium, magnificentissimo templo ornatum, quod Romanus Civis opulentus *Studius*, sive *Euprepius*, ad Monachorum habitationem ædificaverat. Id eâ tempestate, quâ spurcus Imperator Copronymus religiosos viros afflixerat, longâ intercapedine desertum mansit. Deinde verò cùm Arabum copiæ effervescerent in Thraciam, cuncta ferro igniq́ue vastantes, & Theodorus mille Monachorum præfectus suis consultum vellet quorum cervicibus hostium mucro indies imminebat, in regiam urbem migravit, Studiumq; incoluit, unde posteà *Theodorus Studita* nominatus fuit, & Monachi illius atq; discipuli *Studitæ*. *b Summo sacerdotio fungentis.*] Græcè ἀρχιερωσύνοντος Summum sacerdotium vocat Episcopatum quemvis veteribus usitato more loquendi: de quo vide plura in Notis ad Romanum Martyrologium Baronij & tomo quinto eiusdem Annalium Ecclesiasticorum Anni 197. capite 61.

Studium quid?

VITA

VITA
S. DOSITHEI.

Dorotheus Barſanuphij & Abbatis Seridi. diſcipulus.

BEatus verè Abbas Dorotheus vitam ſolitariam Deo adjuvante amplexus, ad Abbatis Seridi cœnobiũ ſeceſſit, ubi magnos quoſdam ac complures reperit quieti deditos, inter quos duo erant eximij magni ſenes, ſanctiſſimus ſcilicet Barſanuphius, eiuſdemque diſcipulus ſive coëxercitans Abbas Ioannes, qui propter eam quam à Deo habebat futura prævidendi gratiam cognominatus eſt Propheta; quibus cùm ſemetipſum omni fiduciâ formandum tradidiſſet, magno quidem ſeni [Barſanuphio] per S. Abbatem Seridum loquebatur, Abbati verò Ioanni Prophetæ, etiam deſervire promeruit.

a Dorotheo. cura datur valetudinarij.

Cùm adhuc Beatus Abbas Dorotheus verſaretur in cœnobio Abbatis Seridi, & certamen Chriſtianæ obedientiæ perficeret, *a* decreverunt ſancti ſenes, ut eo loci ipſe valetudinarium extrueret, ejûſdemque curam haberet. Nam ſi quando infirmabantur fratres valdè affligebantur, quòd nullum qui ipſorum curam gereret haberent. Extruxit igitur, adjuvãte Deo, valetudinarium, proprio ſecundùm carnem fratre ſumptus ipſi ſuppeditante. Erat enim vir Chriſti admodum diligens & monachorum amicus ſingularis.

amicus christi

Por-

orrò ipſe Abbas Dorotheus (ut dixi)
na cum aliis quibuſdam piis ac religio-
s fratribus curam habebat ægrotantium
uippe cui hujuſmodi adminiſtrationis
emandata erat diſpenſatio.

Quadam igitur die accerſivit eum præ-
tus Abbas Seridus, qui cùm ad eum ve-
iſſet, juvenem quemdam invenit mili-
ri ſago indutum, delicatiſſimum iuxtà
formoſiſſimum. Is autem tunc fortè
enerat ad monaſterium, una cum qui-
uſdam amicis Abbatis, *b* qui erant [de
latio] Ducis. Vt igitur acceſſit Doro-
eus, aſſumit eum ſeorſum Abbas Seri-
us, eique dicit: Hi viri adduxerunt hunc
doleſcentem dicentes eum velle hîc in
onaſterio commorari, & vereor ne
rtè ſit alicuius magnorum iſtorum fi-
us, qui vel ſuffuratus ſit quippiam, vel
ali quid egerit, & fugere velit, noſque
riculo exponamur, neque enim habi-
s eius, neque forma eſt cuiuſpiam qui
onaſticam profiteri vitam cupiat. Hic
item erat delicium cujuſdam Tribuni
magno luxu vitam tranſigens (ſemper
im iſtiuſmodi deliciæ perquam molli-
r educantur) nec umquam Dei verbum
diverat, ſed quidam familiares Tri-
ini mentionem illi fecerant ſanctæ ci-
tatis, cujus & ipſe viſendæ deſiderio te-
batur. Petiit igitur à Tribuno ut ad
ea illa ſancta inviſenda mitteretur. Ille
item nolens eum mœrere, cùm reperiſ-
t quemdam amicum ſuum germanum
illuc

b *Quâ occaſione Doſitheus venerit ad monaſterium.*

illuc abeuntem, ait illi: gratificare mihi, & juvenem hunc tecum assume, ut loca sancta invisat. Ille vir puerum à tribuno susceptum in omni honore ac recreatione habuit, suæ & uxoris mensæ illum adhibens.

Vbi verò ad sanctam ciuitatem pervenissent, & loca sancta adorassent, profecti sunt Gethsemanum, ubi erant inferni depicta supplicia. Cùm igitur adolescens illi spectaculo intentus & obstupefactus assisteret, videt mulierem quandam venerabilem, purpurâ indutam, sibi adstantem, quæ singulos quosque damnatorum ei declarabat, atque alia quædam tamquam ex se monebat: (Gloria tibi Christe qui omnia facis propter hominum salutem!) Adolescens verò ille cùm hæc ab ipsa audivisset, tacebat & admirabatur; numquam enim, (ut dixi) verbum Dei audiverat, neque dum de judicio quidquam intellexerat. Conversus igitur ad eum dixit: Domina, quid quis faciet, ut hæc supplicia evadat? Illa verò respondens ait: Iejuna, & ne vescaris carnibus, & iugiter ora, & has pœnas evades.

Dositheo adolescenti adhuc repræsentātur pœnæ inferorum, & modus illas evadendi.

Ceterùm cùm hæc tria illi præcepta dedisset, jam amplius non apparuit, sed evanuit. Ex eo igitur tempore juvenis ille compunctus permansit, & tria illi præcepta, quæ dederat ei mulier, sedulò servabat. Amicus verò Tribuni, videns eum iejunantem & carnibus abstinentem

, affligebatur causâ Tribuni, quem
bat ipsum magni facere. Commilito-
verò istiusmodi vitæ institutum con-
antes, aiunt ad eum: Fili, quæ tu
, non sunt hominis in sæculo degere
entis: si igitur hoc modo vivere vo-
s, confer te ad monasterium, & ser-
s animam tuam. Ille verò qui nec-
de Deo quidquam noverat, neque
esset monasterium sciebat, ea dum-
quæ ab ista muliere audiverat ob-
bat.
it ergo ad illas juvenis: Vos ducite,
quo nostis: Ego enim quo me con-
n penitus nescio. Quidam autem ex
ut dixi, erant amici Abbatis Seridi
iunc adolescentem una secum ad
asterium, adduxerunt. Tunc Abbas
B. Dorotheum qui ipsi loqueretur,
ıque examineret, at ille nihil aliud
ndere noverat, quàm volo salvari.
rsus igitur Dorotheus Abbati re-
si omninò decreveris ipsum admit-
nil est quod timeas; nullum enim
n habet. Dicit ei Abbas: Fac igi-
aritatem, & tecum illum assume
alvetur; nolo enim eum inter fra-
ommorari. Ipse verò præ modestia
nter id recusabat, dicens: neque sta-
eque moduli esse sui onus istiusmo-
se suscipere. Cui Abbas: Ego inquit,
um onus & illius gesto, tu cur affli-
Tunc dicit ei B. Dorotheus. Quo-
igitur hoc omninò decrevisti, ex-
pone

Dositheus committitur Dorotheo instituendus.

pone illud seni, si tibi videtur: Benè, inquit ille, ego exponam ei. Pergit itaque, & rem seni refert. Tunc senex ipsi declarat ut sic eum susciperet: Per te enim, inquit, Deus salvabit eum. Tunc suscepit ipsum cum gaudio, & secum habuit in valetudinario atque Dositheum appellavit.

Quomodo docuerit eum temperantiā in cibo & potu.

Quando autem edendi tempus advenerat, dicebat ei comede ad satietatem, tantummodò observa mihi quantùm comederis. Et abiens comedit,& venit dicens ipsi; comedi unum panem cum dimidio. Erat autem panis quatuor librarum. Ait illi [Dorotheus] Num benè te habes Dosithee? respondit ille: Etiam Domine, benè habeo. Tum ait Dorotheus: Numquid esuris? Nequaquam Domine, inquit ille; minimè esurio. Igitur infert Dorotheus, commede panem unum & quartam alterius partem, aliam verò quartam partem id duas partes dividito, quarum alteram comede, & fecit sic.

Tum ait ei [Dorotheus] esurísne Dosithee? Respondit: Etiam Domine: modicum esurio. Post paucos dies, iterum dicit illi: Quomodo habes Dosithee, numquid mansisti famelicus? Nequaquam Domine, sed per preces tuas benè habeo. Igitur, inquit, tolle aliud dimidium quarti, & fecit sic. Iterum post paucos dies dicit ipsi: quomodo nunc te habes, numquid esuris? Respondit: benè habeo Domine, dicit illi: divide quartam

tam illam aliam partem in duas partes, & dimidium comede, alterum dimidium relinque, & fecit similiter, sicq́ue Deo cooperante, paulatim ex sex libris constitit in octo unciis. Etenim vel in comedendo etiam valet assuetudo.

Ceterùm juvenis iste mitissimus erat in omni opere quod faciebat. Ministrabat autem ægrotis in valetudinario, & quilibet ministerio ejus recreabatur. Omnia enim mundè peragebat. Si verò contigisset eum erga quemquam infirmum negligentiâ usum, aut verbulum aliquod cum ira locutum fuisse, dimissis omnibus flens cellulam ingrediebatur. Cùm igitur alij ministri valetudinarij ingrederentur ad ipsum consolandum, nec ipse consolationem ullam admitteret, adibant Dorotheum eiq́ue dicebant: Fac charitatem Domine, & disce quid habeat hic frater quòd lacrymetur, & nescimus quare. Itaque ingressus est, & reperit eum humi sedentem, ac flentem, eiq́ue ait: Quid est tibi Dosithee? quid habes? cur fles? Cui ille: Ignosce Domine: quoniam iratus fui, & malè locutus sum fratri meo: Et dixit ipsi: Itáne irasceris Dosithee? Itane non pudet te iratum etiam malè loqui fratri tuo? An ignoras ipsum esse Christum, teq́; Christum affligere? Tum ille demisso vultu flebat amarè, nihil penitus loquens. Postquam verò vidit illum satis flevisse, ajebat ei: Deus tibi parcat; surge, modò incipia

Dosithei mansuetudo, & candor animi admirabilis.

Dosithei in defectibus suis deflendis & revelandis ingenuitas.

cipiamus, & diligentiam adhibeamus, ac Deus opem feret. Quo audito ſtatim ſurgebat cum gaudio ad miniſterium ſuum accurrens, ac ſi à Deo arrham accepiſſet.

Miniſtri ergò Valetudinarij mores ejus obſervarant, & quando videbant ipſum lacrymantem, dicebant: Quid habet Doſitheus? Quid erroris commiſit? aiebantque Beato Dorotheo: Domine ingredere cellam ejus, quia habes iſthic negotium. Cùm igitur ingreſſus inveniſſet ipſum humi ſedentem ac flentem, ſatis intelligebat ipſum malè verbum aliquod locutum fuiſſe, dicebatque ei: Quid hoc rei eſt Doſithee? rurſúſne Chriſtum afflixiſti? rurſúſne iratus fuiſti? Nónne pudet te? te tandem non corrigis? At ille pergebat flere. Cùm ergò iterum vidiſſet ipſum lacrymis ſaturatum: ſurge, inquiebat, Deus tibi parcat; denuò incipe, & impoſterum te emenda. Ipſe verò actutum cum fiduciâ triſtitiam illam abigebat, & ad opus ſuum ſeſe accingebat.

Cæterum ægrotis lectulos commodiſſimè ſternebat, adeò autem ingenuus ac liber erat in cogitationibus ſuis manifeſtandis, ut non raró cùm lectulos egregiè ſtraviſſet, ac B. Dorotheum illâc tranſire videret, ei diceret; Domine, Domine, cogitatio mihi dicit: Eleganter lectulos ſternis. Et reſpondit ei Dorotheus: Papè Domine ecce bonus ſervus factus es.

Doſithei in cogitationibus ſuis Dorotheo aperiẽdis accuratio.

es insignis & cubicularis, sed non bonus monachus evasisti.

Numquam autem sinebat ipsum erga rem quampiam, aut materiam quamcumque affici. Omnia enim cum gaudio & cum fiducia excipiebat, & in omnibus alacriter obediebat. Si quando indigebat veste, Dorotheus eam illi suppeditabat, quam ille deindè abiens magna cum modestia & elegantiâ consuebat; cumque illam absolvisset, vocabat ipsum [Dorotheus] ei dicens: Dosithee consuistine vestem istam? Respondebat, ita Domine, rectè atque eleganter ipsam concinnavi. Tum [Dorotheus] vade, inquiebat: da ipsam huic fratri, aut huic infirmo: Et abibat ac dabat ipsam magna cum alacritate. Rursùs ipsi aliam vestem porrigebat, quam ut iterum eleganter sarcivisset ac concinasset similiter aiebat ei. trade illam isti fratri, ac protinùs eam porrigebat, nec umquam affligebatur, aut murmurabat, dicens: Postquam laboravi sarciens & conninnans vestem aliquam, tulit eam à me, atque alteri præbet; sed quidquid boni audiebat, id magnâ promptitudine exequebatur.

Dosithei ad se abnegandũ promptitudo.

Alio quodam tempore quidam Apocrisiarius [seu monasterij procurator] attulit illi cultellum valdè concinnum & affabre factum, quem cùm accepisset, tulit ad Abbatem Dorotheum, dicens: Frater ille hunc cultellum attulit, quem ego accepi, ut si jusseris, habeamus illum in

in valetudinario quoniam optimè scindit panes. Porrò numquam beatus ille in valetudinario, quidquam habuit amplius rei alicuius venustæ, quàm rectè valens. Ait igitur ipsi: age affer illum ut videam num sit præstans. Quem cùm ipsi tradidisset dicens: Revera Domine idoneus est ad parandas offas. Vt autem vidit illum verè accommodum esse ad opus, sed quoniam non volebat ipsum cuicumque rei nimis affici, non permisit ut eum possideret. Ait igitur ipsi: Dositheee siccine tibi placet? Numquid vis esse servus cultelli hujus, & non servus Dei? siccine Dositheee tibi placet, ut cultelli hujus, affectu illigeris? Et non te pudet velle, ut cultellus iste tui potius dominetur quàm Deus? Quo audito, minimè abnuit, sed silens oculos deorsum flexit. Postmodùm ubi illum increpare perrexisset, vade, inquit, depone cultellum istum, nec tangas eum. Qui usque adeo exinde cavit ne ipsum tangeret, ut neque alteri umquam ipsum tradiderit, sed & aliis ministris illo utentibus ipse solus abstinebat. Nec umquam dixit, cur ego ab omnibus absolutè abstrahor? sed omnia quæcumque audiebat, cum gaudio perficiebat.

Dositheus in brevi explevit tempora multa.

Hoc igitur modo exiguum illud tempus, quo in monasterio vixit, transegit. Vixit enim circiter annos quinque, & sic mortuus est in obedientia, ne unica quidem in re propriam faciens volunta-

tem

tem, neque quidquam ex perturbatione umquam peragens. Quando autem infirmatus fuit, & sanguinem spuit, (tabe enim extinctus est) audivit à quodam ova sorbilia multùm conferre iis qui sanguinem excreant. Noverat autem hoc & B. Dorotheus, qui libenter illi remedium aliquod attulisset, sed præ nimia distractione id illi non venerat in mẽtem. Ait igitur illi Dositheus: Domine vellem tibi suggerere aliquid quod mihi profuturum audivi, sed nollem id mihi concederes, quoniam istiusmodi cogitatio me infestat. Cui ille: Dic mihi, inquit, Dosithee, quidnam illud rei sit. Tum ille, Sponde, inquit, te mihi non daturum, istud quandoquidem, ut dixi, cogitatio ejus me turbat. Cui Dorotheus rectè, inquit, ut vis faciam. Tunc ille: Audivi, inquit, ova sorbilia conducere ijs qui sanguinẽ spuunt, sed te per Dominum obsecro, cùm ex temetipso non statueris mihi dare, ne des mihi propter cogitationem meam. Rectè, inquit Dorotheus, cùm non velis, non dabo tibi, tantùm ne turberis. Satagebat autem pro ovis illi dare res alias quæ conducebant sanitati, quandoquidem dixerat sese ovorum cogitatione turbari. Ecce etiam in tanta infirmitate contra propriam voluntatem decertabat.

Habebat verò etiam jugem Dei memoriam, quoniam ei devotus erat, jugiter dicendo: Domine IESV Christe Deus meus *Dosithei oratio in ægritudine.*

meus, miſerere mei. fili Dei, adjuva me. Hanc nimirum orationem aſſiduè habebat in ore. Quando autem infirmabatur, dicebat ipſi: Doſithee, curam habe orationis, vide ne ipſam perdas. Ille verò reſpondebat: Benè Domine, ora pro me. Rurſus cùm ingraveſceret morbus, ait ipſi. Quid eſt Doſithee, quomodo ſe habet oratio? etiamnum ſibi conſtat? Et reſpondebat: ita Domine per tuas preces. Vbi verò magis ac magis ingraveſcere cœpit morbus, (in tantam enim incidit imbecillitatem, ut in ſindone geſtaretur) ait illi: Quomodo ſe habet oratio Doſithee? Tunc reſpondit. Ignoſce Domine jam amplius incumbere illi nequeo. Cui ille; omitte igitur, inquit, orationem, ac Dei tantùm memor eſto, eumque tibi præſentem conſidera.

Porrò valdè laborabat, & magno ſeni ſignificabat dicens: Dimitte me, quia non poſſum ampliùs. Cui ſenex: ſuſtine, inquit, fili, quoniam propè eſt miſericordia Dei. Beatus verò Dorotheus intuebatur eum laborantem, & anxius erat ne quidpiam damni pateretur. Rursùs poſt aliquot dies ait ſeni: Domine non poſſum amplius. Tunc dicit illi ſenex: vade in pace, ac ſiſte te ſanctæ Trinitati, & ora pro nobis.

Fratres verò iſtiuſmodi miſſionem ſenis audientes, cœperunt contriſtari ac dicere: Quid omninò fecit hic? vel quodnam fuit opus ejus, ut audiret iſtiuſmodi?

i? ſecundùm veritatem enim non vide-
ant ipſum biduo jejunantem, quemad-
modum aliqui iſthic faciebant, vel ante
gilias evigilantem, ſed neque ad ipſam
gilíam excitabatur, niſi poſt duas ſe-
ıentias, neque illum viderant exerci-
um aliquod obeuntem; ſed viderant ip-
m pauxillo iuſculi, aut piſciculi capi-
llo, vel aliâ re qnapiam, quæ ægrotis
perſuerat, veſcentem. Erant autem
thic quidam, ut dixi, qui tanto tempore
l duos dies jejunaverant, ac duplices
gilias fecerant, & exercitiis vacaverant.
Vt igitur audierunt illi, iſtiuſmodi ſe-
s reſponſum juveni datum, qui vix
iintum peregerat annum in monaſte-
), conturbabantur ignorantes ejus ex-
citationem, atque indiſcuſſam in rebus
nnibus obedientiam, & quòd ne ſe-
el quidem propriam voluntatem ex-
evilſet. Si contingeret B. Dorotheum
ſi verbulum aliquando quaſi ridendo
cere, protinùs accurrens cum feſtina-
one abibat, & abſque ulla diſcuſſione
uidquid dicebatur peragebat. Exempli
atia: Cùm in principio ex conſuetu-
ne quadam aſperiùs loqueretur, B. Do-
theus quaſi ipſum perſtringens ait ei:
ous eſt phialâ vini meri Doſithee; vade
tur, accipe lagenulam. Quo audito
nplicitet abiit, & adfert phialam vino
enam, & panem, ac tradit illi tamquam
nedictionem accepturus. Ille verò
m id ignoraret, quaſi admirabundus

Doſitheus per abnegationē propriæ voluntatis pervenit ad perfectionem.

attendebat ei, atque dicebat: quid vis? Respondit: Quoniam iussisti ut caperem lagenam vini meri, da mihi benedictionem. Tunc ait ei: stulte quia vociferaris sicut Gothi (etenim illi quando ad iram provocantur, clamant, & tumultuantur) idcirco dixi tibi; Accipe lagenam vini meri, quia etiam tu tamquam Gothus vociferaris. Quod cùm audisset prostratus veniam petiit, & abiit, ac phialam reposuit.

Aliàs verò iterum venit [ad Dorotheum] interrogans ipsum de aliquo Scripturæ sacræ verbo (cœperat enim propter animi puritatem Scripturas quasdam intelligere.) Ille verò nolebat tunc in his versari, sed magis humilitate servari. Quando igitur interrogavit ipsum, respondit se nescire. At ille nihil cogitans, iterum venit, & interrogat eum de quodam alio Scripturæ capite. Cui etiam tunc respondit, nescio, sed vade interroga Abbatem. At ipse abibat nihil penitùs dijudicans. Beatus autem Dorotheus, jam prædixerat Abbati seorsum, si venerit Dositheus ad te ut interroget quidpiam scripturisticum, verbera ipsum parumper. Cùm igitur venisset, atque interrogasset eum, cœpit illum cedere dicens: cur non taces cùm nihil scias? Túne hæc audes interrogare? non consideras impuritatem tuam? Postquam hæc & talia dixisset, dimisit illum, duas ei alapas impingens. Ille verò reversus est

ad

ad Dorotheum, genas ei ex alapis rubras ostendens ac dicens: En adhuc firmas solidasque habeo. Nec dixit illi: cur tu non correxisti me, sed ad Abbatem misisti? Nil tale dixit, sed omnia cum fide ab illo accipiebat & sine discussione peragebat. Quando autem ipsum de sua cogitatione interrogabat, tanta fidei certitudine ac persuasione quæ audierat, suscipiebat, & conservabat, ut non opus esset de eadem cogitatione ipsum amplius interrogare. Hanc igitur admirabilem ejus exercitationem, cùm ignorarent (ut dixi) fratres quidam de senis dimissione murmurabant.

Ceterùm cùm Deus gloriam ipsi pro sancta illa obedientia præparatam, nec non Dorothei tum adhuc discipuli singularem in regendis ac servandis animabus gratiam manifestare vellet, qua ipsum absque errore tam brevi & compendiosâ viâ ad Deum adduxisset: Non multis post B. Dosithei obitum diebus quidam sanctus & magnus senex, qui isthic hospitio excipiebatur, videre cupiebat sanctos Patres qui in eo cœnobio vitâ functi erant & obdormierant. Rogavit itaque Deum sibi ut eos revelaret, & vidit veluti in choro illos omnes sibi astantes, inter quos & juvenem quemdam aspexit assistentem, de quo admirabundus interrogabat, quisnam esset ille juvenis quem inter Patres conspexisset, cumque formæ illius signa & characteres

Dositheus per indiscussam obedientiam meruit summis sanctis aggregari.

accuratè deſcripſiſſet, agnoverunt omnes Doſitheum fuiſſe, & glorificaverunt Deum admirantes, de qua vitæ converſatione, de quo primo ſtatu, ac vivendi ratione, ad quanta præmia, qualémve menſuram tam brevi tempore pro ſola dumtaxat obedientiæ indiſcuſſa obſervatione, ac propriæ voluntatis abnegatione pertingere meruit.

NOTÆ CORDERI.

a *Decreverunt ſancti Senes, ut ipſe illic valetudinarium ſtrueret &c.*] Huius rei mẽtio fit in vita S. Barſanuphij, cujus M.S. exemplar R.P. Bollandus mihi cõmunicavit, ubi ſic legitur: *voluit autem ibidem ad pauperum ſuſceptionem domicilium conſtrui, quod opus cuidam juveni de Antiochia venienti, & in amore Dei ferventi, nomine Dorotheo agendum commiſit.*

b *b Qui erant* [de palatio] *Ducis.* Græcè Δουκὸς] ubi notandũ eſt vocabulũ iſtud Δουκὸς eſſe Barbarũ è Latio in Græciã tranſlatũ, ex quo Romani Græcis imperitarunt, cujuſmodi ſimilia, ut Καίσαρος, Δικτάτωρος, Κένσορος; *Cæſaris*, *Dictatoris*, *Cenſoris*, in Plutarcho plurima Lector reperiet. Ejuſdem quoque generis eſt τὰ δηλίκια *deliciæ* quâ voce paulò inferiùs utitur hic auctor.

c *Inſignis cubicularius*] c Græcè καλὸς βρεγδάριος, vel ut in Cæſareo codice eſt βρεγκάριος. id eſt *aulicus miniſter*, ſeu *cubicularius*. Meurſius cenſet ſcribendum

βρε-

βρικάριος & significare *opilionem*, cujus sententiæ rationem nullam video, neque quomodo ista significatio huic loco adaptari possit. Quid enim puero, qui ob lectulos ægrotantium concinnè stratos supra servum laudatur, cum opilione commune sit? Opilio sanè, ut paleam straménve ovibus substernat molliter; numquam tamen, servi conditionem excedere censebitur.

ELENCHVS
INSTITVTIONVM ASCETICARVM
S. DOROTHEI.

INSTI-

INSTITVTIONES ASCETICÆ

S. DOROTHEI ARCHIMANDRITÆ.

INTERPRETE BALTHASARE CORDERIO Societatis IESV Theologo.

INSTITVTIO PRIMA DE ABNEGATIONE.

IN principio, quando fecit Deus hominem (sicut divina Scriptura testatur) omni virtute ornatum constituit ipsum in paradiso; dans ei mandatum non comedendi de ligno quod erat in medio paradisi; & in deliciis paradisi, in oratione, in contemplatione, in medio gloriæ & honoris versabatur, vegetos habens sensus, statumque naturæ perfectum, in quo & conditus fuerat. Ad imaginem enim Dei fecit Deus hominem, id est immortalem, libero præditum arbitrio, omni virtute ornatum. Postquam verò transgressus est mandatum, & comedit de ligno, quod præceperat ei Deus ne comederet; illicò ejectus est è paradiso, & excidit á statu naturæ consentaneo, in eum qui dissentaneus est naturæ, scilicet, in peccatum, in ambitionis ac voluptatis vitæ hujus appeti-

Gen. 2. 8. *Hominis vita in paradiso.* Gen. 2. 26. Gen. 1. 27. Gen 2. 17. *Adami lapsus.*

petitum, ceterasque animi perturbationes quibus obnoxius tenetur; quoniam semetipsum illis per prævaricationem mancipavit.

Initium pec-cati.

Exinde adauctâ sensim malitiâ mors regnavit, nec usquam erat religio, sed vbique Dei ignoratio. Pauci quidam, (uti dicebam) Patres ex naturalis legis instinctu Deum cognoscebant; nempè Abraham, cæterique Patriarchæ, & Noë, & Iacob, & absolutè loquendo pauci aliqui, ac valdè rari erant qui Deum noverant. Tunc enim inimicus omnem nequitiam suam explicabat, imperium obtinente peccato. Tunc idololatriæ, varius Deorum cultus, præstigia, cædes, cæteraque malitia diaboli sumpserunt exordiũ.

Deinceps tandem bonus Deus figmenti sui misertus per Moysem dedit legem
b scriptam, *b* in qua quædam prohibuit, & quædam præcepit, ac si v. g. diceret: hoc facite, illud verò nolite facere. Dedit
Deut. 6. 4. mandatum, & illicò addit: *Dominus Deus tuus, Dominus vnus est*, quo videlicet animum eorum à multiplici Deorum
Ibid. 5. cultu revocaret. Item, *Diliges Dominum Deum tuum in tota anima tua, & in tota mē-*
c *te tua. c* Vbi prædicat: *Quoniam Deus vnus*
Deut. 4. 31. *est, & non est alius*. Cùm enim ait: *Diliges Dominum Deum tuum*, ostendit unum esse Deum, unum esse Dominum. Et rursus
Exod. 20. 5. in Decalogo: *Dominum Deum tuum adora-*
Deut. 5. 6. *bis, & illi soli servies, illi adhærebis, & per nomen ejus jurabis.* Deinde subdit illud:

Non

o erunt tibi Dij alij, neque cujusquam si-itudo eorum quæcumque sunt in cælo sur-o, & quæcumque in terra deorsum. Cole-nt enim omnes creaturas. Exod.20.4.

Dedit itaque bonus Deus legem ad xilium, ad conversioem, ad correctio-m vitiositatis, & tamen non est corre-i. Misit Prophetas, nec ipsi quidquam icere potuerunt (superavit enim mali-, ut ait Isaias) *neque vulnus, neque livor, que plaga tumens. Non est malagma impo-re, neque oleum, neque alligaturas.* Ac si ceret: non est in certa parte, nec in 10 loco vitiositas, sed in toto corpore, tam animan occupat, universas ejus res possidet, non est malagna impone-; & quasi omnia peccato mancipata nt, ab eo cuncta superata. Quin & Je-emias ait *Curavimus Babylonem, & non est nata.* Id est, nomen tuum manifestavi-nus, mandata tua, beneficia, promissio-es provulgavimus, inimicorum insultus rædiximus, & tamen non est sanata; hoc st, non egit pœnitentiam, non timuit, ō est ab iniquitate sua revocata. Quem-dmodmodum & alibi ait, quoniam *dis-plinam non receperunt*; hoc est correctio-em, doctrinam. Et in Psalmo ait: *Om-em escam abominata est anima eorum, & ppropinquaverunt usque ad portas mortis.*

Lex & Propheta parum profuerunt.

Isa.1.6.

Ier.51.9.

Ier.2:30.

Psal.106.18

Post hæc tandem bonus ac clemens Deus, mittit Filium suum unigenitum. solius enim Dei erat curare ac superare stiusmodi affectionem:) Atque hoc Pro-

Solus Dei filius hominē sanare potuit.

phetæ minimè ignorarunt; undè & manifestè David ait: *Qui sedes super Cherubim, manifestare. Excita potentiam tuam, & veni ut salvos facias nos.* Item *Domine inclina cælos tuos & descende.* & quæcumque sunt hujusmodi. sed & alij Prophetæ more quisque suo diversimodè omninò multa clamarunt, partim quidem invitantes ut descenderet, partim verò certiores facti omninò venturum. Venit igitur Dominus noster, propter nos homo factus, ut, (sicut ait S. Gregorius) ut simile simili curaret, animâ animam, carne carnem. Quò ad omnia enim homo fit, absque peccato. Ipsam substantiam nostram assumpsit, primitias massæ nostræ, & fit novus Adam ad imaginem ejus qui formavit illum. Siquidem renovat naturæ statum, iterumque vegetos reddit sensus prout fuerant à principio, ipsum hominem collapsum, homo factus instauravit; peccato mancipatum, viúque ab eo subactum, liberavit. Homo enim violentiâ tyrannideque inimici regebatur, & fermè etiam hi qui nolebant peccare vi quâdam peccabant, prout Apostolus in persona nostra dicit: *Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.*

Psal. 79. 2. *Psal. 143. 5.* *Christus propter nos homo factus.* Greg. Nazianz. orat. 51. contra Cledoniū. *Rom. 7. 19.*

Deus igitur propter nos homo factus, hominem ab inimici tyrannide liberavit. Omnem enim potentiam ejus sustulit, ipsum ejus robur contrivit, & in libertatem nos asseruit, ne mancipia neque servi illius essemus, nisi spontè nostrâ peccare.

care nos ipsi voluerimus. *Dedit enim nobis potestatem*, sicut dixit, *calcandi supra serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici*, ab omni peccato, per sanctum Baptismum emundans; siquidem omne peccatum condonat ac delet sanctus Baptismus. Luc.10,19.

Rursus porrò bonus Deus cùm nostram nosset infirmitatem, nosque iterùm post sanctum Baptismum peccaturos prævideret (sicut scriptum est: *Quoniam incumbit cor hominis diligenter in mala à juventute sua.*) dedit nobis secundùm bonitatem suam præcepta sancta, quæ nos expiarent, ut si voluerimus scilicet per custodiam mandatorum, non solùm à peccatis nostris, sed ab ipsis etiam *passionibus iterum emundari possimus *d* Aliæ enim sunt passiones, & alia sunt peccata. Passiones sunt, ira, vana gloria, amor voluptatis, odium, cupiditas prava, & quæcumque istiusmodi. Peccata verò sunt ipsemet operationes passionum, quando reipsâ quis illas facit, quando videlicet opera illa *corpore suo exequitur, quæ ipsi suggerunt passiones. Fieri potest, ut quis habeat quidem passiones, sed illas in opus minimè adducat.

Christus etiã passionibus venit nos mundare.

Gen.8,21.

d

* Non tolẽdo penitùs fomitem peccati, sed reprimendo & obsistẽdo.

*Locũs hic cautè intelligendus. videtur enim rationem peccati in solo actu externo opere consummato collocare, cùm formaliter in libero cõsẽsu voluntatis cõsistat.

Dedit igitur nobis uti dicebam, mandata, quæ ab ipsis etiam passionibus seu pravis interioris nostri hominis affectionibus nos emendarent. Indit enim illi discretionem boni & mali, excitat ipsum, ostendit illi causas quibus delabitur in

Exod.20.14 Matt.5.21. peccatum, & ait: Lex dixit, Non mœchaberis; Ego autem dico, neque irascaris. Si enim concupiveris quamvis hodie non mœcheris, non tamen interiùs te desistet exagitare concupiscentia, donec ad actum pertraxerit. Si irâ succensus fueris, & temetipsum concitaveris adversus fratrem tuum, cùm jam eò incideris, ut ipsi obloquaris, deindè vt insidias pares, paulatim etiam procedens eò tamdem devenis ut occidas,

Matt.5.38. Exod.22.24 Levit 24. 10 Deut.19.21 *Perfectio legis Christi.* Rursum Lex ait: *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*, &c. ipse autem hortatur non solùm suscipere cum longanimitate plagam cedentis nos, sed & aliam maxillam vertere illi cum humilitate. Scopus enim Legis erat docere nos non facere, quæ non volumus pati. Arcuit ergo nos à maleficio, metu talionis. Id quod modò exigitur (ut dixi) est ipsius odij, ipsius voluptatis, ipsius vanæ gloriæ cupiditatis, & reliquarum extirpatio passionum. Scopus, inquiebam Christi Domini nostri, absolutè modò est docere nos undè in universa hæc peccata deveniremus, unde in omnes hos dies malos incideremus.

Iustificationis ordo & affectus. Primùm igitur (ut jam dixi) per sacrum Baptisma nos liberavit, dans nobis remissionem peccatorum; deditque nobis potestatem faciendi bonum si velimus, néve amplius traheremur (ut quis dixerit) cùm violentia in malum. Qui enim mancipatus est peccatis, gravatur & trahitur

hitur ab eis, quemadmodum ait : *Catenis suorum peccatorum unusquisque constringitur.* Prov. 5. 22.
Deinde docet nos per sacra præcepta, quomodo purgemur etiam ab ipsis passionibus, ne per has denuò in ipsa peccata incidamus.

Denique ostendit nobis causam ex qua etiam in contemptum & inobedientiam ipsorum Dei mandatorum deveniatur. Et sic præbet nobis etiam hujus [mali] medicinam, ut possimus obedire ac salvari.

Quænam igitur est hæc medicina, & quæ causa contemptus? Audite, quid dicat ipse Dominus noster : *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Matt. 11. 29. En ut compendio hîc radicem & causam omnium malorum unico verbo nobis aperuit, ipsamque bonorum omnium medicinam. Ostendit ut elatio nos dejecerit, & fieri non possit ut aliter misericordiam consequamur quàm per oppositum, quod est humilitas. Elatio enim parit contemptum ; & inobedientiam perniciosam : quemadmodum & humilitas gignit obedientiam & salutem animarum. Illam autem dico veram humilitatem, non quæ in verbo solo, aut specie est humilitas, sed affectum propriè humilem, qui in ipso corde existit. Qui igitur voluerit invenire veram humilitatem, & requiem animæ suæ, addiscat animi demissionem, & consideret in illa omne gaudium, & omnem

Elatio omnis mali, humilitas omnis boni radix.

omnem gloriam & omnem requiem consistere, sicut in superbia omnia sunt contraria.

Vnde enim devenimus in omnes has afflictiones? nónne propter superbiam nostram? nónne propter vecordiam nostram? nónne quia nos etiam malum propositum nostrum sustinemus? nónne quia amaritudo voluntatis nostræ dominatum tenet? sed qui sic? Numquid conditus est homo, in omnibus deliciis? in omni gaudio? in omni tranquillitate? in omni gloria? numquid erat in paradiso? Iussit [illi Deus] hoc ne feceris; & fecit, vides superbiam, vides duritiem, vides contumaciam?

Status Adæ peccantis.

Exindè Deus videns istam impudentiam; ait: hic stultus est, hic non scit frui gaudio: hic nisi molestos dies egerit ruit penitùsque perit. Nisi enim didicerit quid sit afflictio, non cognoscet quid sit quies. Tunc pro meritis ipsi tribuit, & ejecit eum è paradiso. Traditus deindè proprio sui ipsius amori, propriisque voluntatibus, ut ossa sua contereret, disceretque non sibi ipsi inníti, sed mandato Dei, ut hæc ipsa ærumna inobedientiæ, doceret eum obedientiæ quietem, sicut ait in Prophetia: Docebit te defectio tua.

Verumtamen Divina bonitas; ut sæpè dixi, non despexit proprium figmentum, sed rursus invitat, rursus consolatur: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ac si diceret: Ecce labora-

Matt. 11. 12.

boraſtis, ecce in ærumnas incurriſtis, ecce mali & contumaciæ veſtræ experimentum accepiſtis; venite tandem, convertimini, venite agnoſcite imbecillitatem veſtram, ut redeatis in requiem, & gloriam veſtram. Venite, reviviſcite per humilitatem, quia mortui fuiſtis per ſuperbiam: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Papè, quid poteſt humilitas? Quid opus erat omnibus his ambagibus? ſi enim à principio humilis fuiſſet, ac Deo obedivisſet, & mandatum cuſtodiviſſet, nequaquam excidiſſet.

Benignitas Christi, hominē à peccato revocavit.

Matt.11.29.

Denuò poſt ignominioſum lapſum dedit [ei Deus] occaſionem pœnitendi, & miſericordiam conſequendi, & [tamen] cervix ejus mánſit eláta. Venit enim [Deus] ad eum dicens: *Adam ubi es?* Ac ſi diceret: A quanta gloria, in quantam ignominiam lapſus es? Ac deindè interrogat eum. Cur peccaſti? Cur tranſgreſſus es? Admonens eum privatim, ut diceret; condona [mihi Domine] ſed nuſquam humilitas [ſe prodit.] Et ubinam [hæret vox illa] *Condona mihi?* Nuſquam pœnitentia [elucet] ſed è diverſo murmurat & obloquitur: *Mulier quam dediſti mihi,* (neque dicit *uxor mea* decepit me, ſed *mulier quam dediſti mihi.*) ac ſi quis diceret, calamitas iſta quam in caput meum induxiſti, [uxor ſcilicet, fuit in cauſa.] Ita nimirùm ſe res habet fratres, quando non valet homo ſemetipſum accuſare

Gen.3.10.

Status Adæ peccatum ſuū excuſantis.

Gen.3.12.

cuſare

cusare non veretur etiam Deum ipsum incusare.

Indè ad mulierem pergit, illique ait: Cur & tu non custodivisti mādatum? Ac si privatim diceret; Dic & tu, [*ignosce mihi Domine*] ut humilietur anima tua; & misericordiam consequaris. Et nusquam iterum [auditur] illa vox *ignosce*. Respondit enim & ipsa, dicens: *serpens decepit me*, quasi diceret: si ipse peccavit, quid ego culpæ habeo?

Gen. 3. 13.

Quid agitis miseri? unicam proferte pœnitentiam, agnoscite lapsum vestrum, misereat vos nuditatis vestræ. At neuter eorum semetipsum accusare dignatus est; neuter inventus est vel modicum habere humilitatis.

Superbia & humilitatis progenies qua.

Ceterùm, ecce apertè videtis, quò status noster devenerit. Ecce in qualia quantaque mala traxit nos illa sui ipsius justificatio, illa propriæ voluntatis possessio, suique ipsius directio, quæ sunt filiæ superbiæ Deo inimicæ; quemadmodum & humilitatis filiæ sunt, sui ipsius accusatio, propriæ diffidentia intelligentiæ, odiumque propriæ voluntatis. His enim meretur quis recuperare semetipsum, & per sanctorum Christi mandatorum expiationem, ad statum naturæ consentaneum reverti. Nam si ut Marcus Abbas dixit, sine humilitate non potest quis obsequi mandatis, nec ad aliquid umquam boni pervenire. sine cordis contritione impossibile est liberari mali-

Humilitatis effectus.

litiâ, & virtutem possidere, itaque per contritionem cordis suscipit quis mandata [Dei] liberatur malitiâ, virtutem obtinet, ac tandem in propriam quietem revertitur.

Hoc Sancti omnes cùm scirent, satagebant per omnem humilem vivendi rationem unire semetipsos Deo. Extiterunt enim nonnulli amici Dei, qui post sacrum Baptismum non tantùm operationes passionum reciderunt, sed & ipsas passiones vincere, passionumque expertes esse studuerunt. Hujusmodi erat sanctus Antonius & Pachomius, ceterique deiferi Patres. Quoniam ergò propositum habebant emundandi semetipsos (ut ait Apostolus) *ab omni iniquinamento carnis & spiritus*; cognoscebantque per custodiam mandatorum (uti jam diximus) animam expurgari, & ut ita dicam, expiari quoque mentem, venireque ad statum naturæ consentaneum, (*Praeceptum enim Domini lucidum illuminans oculos.*) intellexerunt eos qui in mundo sunt, non facilè posse virtutem excolere, sibique ipsi novam vivendi rationem, ac peregrinum (solitariæ inquam vitæ) institutũ excogitarunt, & cœperunt fugere mundum & in desertis degere, in jejuniis, in humicubationibus, & vigilijs, ceteraque afflictatione, & universæ patriæ, cognatorumque ac pecuniarum, passionumque abdicatione, atque absolutè semetipsos mundo crucifixerunt, neque solummo-

Viri sancti passiones domuerunt.

2.Cor.7.1.

Psal.8.9.

Sancti mundũ fugerunt.

summodò mandata custodiverunt, verùm etiam Deo munera obtulerunt.

Sanctorum ergà Deum liberalitas.

Modum edissero. Præcepta Christianis omnibus data sunt, & omnis Christianus ea observare tenetur. Annua sunt, quemadmodum quis dicat, vectigalia Regi debita. Quisnam ergò recusans annua tributa Regi solvere, mulctam effugit? Sunt autem in mundo viri magni & illustres, qui non modò annua tributa præbent Regi, sed etiam munera ipsi offerunt: Atque hi digni habentur magno honore, magnis donis, ac dignitatibus. Pari igitur modo Patres non tantùm præcepta servarunt, sed etiam munera Deo obtulerunt. Munera autem sunt, virginitas & paupertas. Hæc non sunt præcepta, dona sunt. Nusquam enim scriptùm est: Ne ducas uxorem, filios ne procrees: non item præceptum dedit Christus dicens: *Vende quæ habes* Quando nimirùm accessit ad eum Legisperitus, dicens: *Magister bone, quid faciendo vitam æternam possidebo?* Respondit: *Præcepta nosti: non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falsum testimonium dices contra proximum tuum*, & quæ sequuntur. Ipso autem dicente: *Hæc omnia servavi à juventute mea.* Subdit illud? *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus*, &c. Ecce non dixit: vende quæ habes, veluti imperans, sed veluti suadens. Nam dicere *si vis*, non est præcipientis, sed suadentis.

Virginitas & paupertas non sunt præcepti sed consilij.

Matt. 19, 21. Marc. 10. 19 Luc. 10. 25. Exod. 20. 13

Quem-

Quemadmodum igitur dicebamus, atres præter ceteras virtutes, obtulerunt)eo etiam dona, virginitatem, & pau- ertatem, atque ut anteà diximus mun- um sibi ipsis crucifixerunt, ac deinceps d hoc contenderunt, ut semetipsos quo- ue mundo crucifigerent. quemadmo- um ait Apostolus: *Mihi mundus crucifi- us est, & ego mundo.* Quodnam igitur inter hæc] discrimen? Mundus homini rucifigitur, quando mundo renuntiat omo, & exinde solitarius fit, & di- nittit parentes, pecunias, possessiones, egotia, munerum acceptiones. Tunc rucifigitur ipsi mundus, quia dimisit um. Atque hoc est quod ait Apostolus: *Mihi mundus crucifixus est.* Deinde subdit: *t ego mundo.* Quo pacto tandem cruci- gitur homo mundo? Quando nimirum ost rerum externarum abdicationem; ertamen etiam init adversus ipsas vo- uptates, adversus ipsas rerum concu- iscentias, & adversus propriam volun- atem, mortificans passiones suas, tunc c ipse mundo crucifigitur, & dignus est ecundùm Apostolum dicere istud: *Mihi nundus crucifixus est, & ego mundo.*

Sancti cum Apostolo sibi mundum cru- cifigunt, & se mundo Gal.6.10.

Exterior ab- dicatio cruci- figit nobis mundū infe- rior sui ipsius abnegatio crucifigit nos mundo.

Patres nostri, sicut diximus, cùm sibi nundum crucifixissent, certaminibus ncubuerunt, & semetipsos quoque mun- lo crucifixerunt. Nos verò videmur qui- lem nobis ipsis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, & venimus ad nonasterium, at nolumus nosmetipsos

mun-

Insani est rebus vilibus affici, cùm res magnas reliqueris.

mundo crucifigere. Adhuc enim eius voluptates retinemus; adhuc affectus ejus in nobis vigent, ergà ejus gloriam affici-mur, escis & vestibus inhiamus. Si instrumentum aliquod pulchrum fuerit, ergà illud afficimur; ac permittimus ut parvum illud instrumentum, (sicut dixit Abbas Zosimas) occupet in nobis locum f* *centenarij*. Nã visi sumus mundo egressi, etiam ea quæ mundi sunt reliquisse, dum pergimus ad monasterium; atqui rebus vilibus affectum eius explevimus. Hoc autem ex multa insipientia patimur, quando magnis & pretiosis rebus dimissis, in minimis quibusdam affectus nostros explemus. Vnusquisque enim nostrum, id quod habebat dimisit; qui magna habebat, [dimisit] magna; & qui exile quippiam habebat, etiam ipse quidquid id tandem erat, pro virili quisque suo reliquit, & venimus ad monasterium, atque ut dixi vilibus ac nullius pretij rebus affectum nostrum explemus.

*f Centenarium vocat præmium illud centuplum quod Christus promisit iis qui sua propter Deum reliquerint.

Nequaquam certè hoc modo agendum, sed sicut mundo & negotiis ejus renuntiavimus, similiter debemus etiam ipsimet rerum terrenarum affectioni renuntiare, ac scire quid sit hæc renuntiatio, & ob quid venerimus ad monasterium, quidque sibi velit habitus iste, quem assumimus, & ad illum nos componere, ac more patrum nostrorum decertare.

g. Habitus quem gestamus, g Colobium est,

ſt, quod caret manicis, & *b* zona pelli-
ea, & *i* analabus [ſeu ſcapulare] & *k* cu-
ullus. Hæc autem ſunt ſymbola, quid-
ue nobis hæc corporis noſtri ſymbola
gnificent, intelligere debemus.

h
i
k Deſcriptio habitus monachalis & quid ſignifi-cet.

Cur geſtamus colobium manicis deſti-
utum? cùm ceteri omnes manicas ha-
eant, cur nos eas non habemus? Mani-
æ ſymbola ſunt manuum, manus autem
ımuntur pro agendi facultate. Quando
gitur occurrit nobis cogitatio agendi
uidpiam manibus hominis antiqui, ut
uta furandi, aut verberandi, vel abſo-
utè quodvis aliud peccatum manibus
atrandi, ad habitum attendere debe-
ius, ac intelligere nos non habere ma-
icas, id eſt, carere manibus ad operan-
um quidpiam quod ſit hominis antiqui.

Colobiũ quid?

Habet autem colobium noſtrum et-
m ſignum aliquod purpureum, Quid
bi vult ſignum purpureum? Quiſquis
egi militat, purpuram in penula ſua
eſtat? Cùm enim Rex purpuram geſtet,
mnes qui illi militant, purpuram appo-
unt, ſagis ſuis, hoc eſt, regium indumen-
im ut per hoc oſtendant ſe eſſe regios,
egiq́ue militare. Ita & nos ſignum pur-
ureum aſſumimus in colobium no-
rum; innuentes nos in Chriſti militiam
ſcriptos eſſe, & univerſas afflictiones
us, quas ipſe pro nobis pertulit ſuſti-
ere debere. Etenim quando paſſus eſt
ominus noſter, geſtavit purpureum ve-
imentum, Primum quidem ut Rex. Ipſe
enim

Cur in colobio ſignum purpureum.

1.Tim.6.14 enim est *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Deindè verò etiam ut delusus ab impiis illis. Nos igitur habentes quoque signum hoc purpureum, omnes (ut dixi) afflictiones ejus sufferre profitemur. Et sicut miles nequaquam dimittit militiam suam, & ab ea recedens fit agricola, vel mercator, alioquin dignitate suâ excidit, 2.Tim.2. 4. quemadmodum Apostolus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus*, ut imperatori suo placeat. ita & nos certare & ab omnibus hujus mundi curis abstinere, solique Deo vacare debemus, ut sit virgo (sicut ait) rectè assidens, & minimè distracta.

Quid zona significet. Habemus autem & zonam: sed cur illam gestamus? zona quam gerimus, primùm quidem signum est nos ad opus esse paratos. Quilibet enim cùm vult operari, primùm accingitur, & sic opus aggreditur. Luc.12.35. iuxtà illud: *sint lumbi vestri pracincti.* Item, ut quemadmodum zona est de corpore mortuo, ita & nos concupiscentiam nostram mortificemus. zona enim lumbis nostris adhibetur, ibi autem sunt renes, in quibus vis animæ concupiscibilis esse sita dicitur. Atque hoc est Coloss.3. 5. quod ait Apostolus: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam*, & quæ sequuntur.

Analalabus seu scapulare quid designet? Habemus etiam *analabum* [seu scàpulare.] Hic analabus in modum crucis ponitur super humeros nostros. Id est, signum crucis gestamus in humeris nostris,

ſtris, juxta illud: *Tolle crucem tuam & ſequere me*. Quid verò crux eſt aliud quàm perfecta mortificatio quæ perficitur à nobis per fidem in Chriſtũ? Fides enim (ut iterum *l* in libro ſeniorum dicitur) arcet ſemper impedimenta, & liberam nobis reddit operationem, quæ ad perfectam iſtiuſmodi mortificationem nos deducit, ſcilicet, ut ſemetipſum quis mortificet ab omnibus quæ ſunt mundi hujus, ut ſi parentes dimiſerit, expugnet pariter & affectum. Eodem modo abdicaverit quis pecunias, vel poſſeſſiones, aut aliam rem quamcumque, velit etiam affectui ejus renuntiare, quemadmodum jam dicebamus. Atque hæc eſt perfecta renuntiatio. Matt.16.24 *l*

Aſſumimus autem cucullum, quod eſt ſymbolum humilitatis. Infantes enim parvuli ac innocentes cucullos geſtant, non item vir perfectus. Nos igitur idcircò cucullum gerimus, ut malitiâ parvuli ſimus, quemadmodum Apoſtolus ait: *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitiâ parvuli eſtote*. Quid autem eſt parvulum eſſe malitiâ? Parvulus qui non habet malitiam, ſi ſpernatur, non iraſcitur; & ſi honoretur, haud effertur in gloriam vanam. Si quis res ejus acceperit, minimè affligitur, parvulus enim malitiâ eſt, non ulciſcitur injuriam, non affectat gloriam. Eſt etiam cucullus divinæ gratiæ ſymbolum. Quoniam quemadmodum cucullus tegit ac fovet puer uli caput: ita & Dei gratia mentem noſtram tuetur, (ſicut dici-

Cucullus ſymbolum humilitatis

1.Cor.14.20

Cucullus eſt ſignũ gratiæ Dei.

dicitur in libro seniorum) quoniam cucullus est signum gratiæ Salvatoris nostri Dei, mentem nostram protegentis, & infantiam nostram quæ in Christo est circumfoventis, propter dæmones qui nos semper percutere ac vulnerare conantur.

Zona & analabus sunt signum mortificationis.

Ecce habemus etiam zonam circa lumbos nostros; quod est mortificatio appetitus irrationalis, & analabum [seu scapulare] super humeros nostros, quod est crux. En & cucullum: quod est signum innocentiæ, & infantiæ illius quæ in Christo est. Conversemur itaque secundùm habitum nostrum; quemadmodum dixerunt Patres, ne alienum habitum feramus: sed ut magna dimisimus, sic & parva deseramus. Reliquimus mundum, relinquamus etiam affectus ejus. Affectus enim, sicut dixi, ob paucas quasdam & nullius pretij res denuò nos mundo alligant, & non animadvertimus.

Propria voluntatis abnegatio est compendiosa via ad perfectionem.

Si igitur velimus perfectè immutari & liberari, discamus amputare voluntates nostras, nam sic paulatim auxilio Dei proficimus, & ad privationem affectus pervenimus. Nihil enim æquè hominibus prodest ac propriæ rescissio voluntatis. Profectò aliquis ex hac re suprà omnem ferè virtutem proficit. Et sicut homo iter faciens, *m* compendiumque aliquod in via reperiens, illudque subiens, per istud compendium magnam illius viæ partem anticipat: pari modo se habet is qui hanc viam resecationis propriæ voluntatis

m

tis ingreditur. Ex eo enim quòd quis propriam suam resecat voluntatem, affectionis vacuitatem obtinet, atque ex hac affectionis vacuitate, ad perfectam Deo adjuvante passionum pervenit privationẽ.

Potest autem quis exiguo spatio vel decies [si velit] amputare voluntatẽm. Modum edissero. Obambulat quis ad parvum tractum, & videt fortè aliquid, dicitque illi cogitatio, adverte isthac. At respondet isti cogitationi: certè non adverto: suamque frangit voluntatem, & non advertit. Rursus invenit aliquos obloquentes, & suggerit ipsi cogitatio: dic tu quoque verbum istud, & amputat suam voluntatem, & non dicit. Iterum dicit ei cogitatio; vade, interroga coquum quid coquat: & non vadit; suamque resecat voluntatem. Item cernit fortassè quippiam, ac suadet ipsi cogitatio; interroga quisnam illud attulerit, suamque abrumpit voluntatem, & nil percunctatur. Et dum sic amputat [voluntatem] in ejus amputandi consuetudinem venit, atque à parvis incipit etiam magna cum tranquillitate animi resecare, ac sic tamdem incipit non habere omninò [propriam] voluntatem: sed quidquid acciderit, semetipsum ad quietem componit, utpote qui possessor sit sui. Et dum ipse suam recusat facere voluntatem, reperitur semper eam facere. Qui enim propriam non habet, quæcumque fit, ejus est propria; & sic invenitur, ut diximus, non

Qui nõ habet propriam voluntatem omnia illi fiunt secundũ voluntatem.

habere propenſionem, & ex affectionis vacuitate, uti dicebam, ad paſſionis pervenit privationem.

Exemplum exactæ obedientiæ.

Conſiderate parumper ad quantum profectum conferat propriæ præciſio voluntatis. Exemplo ſit beatus Doſitheus. Ex quali vita, ex quali luxu, & ex quali ſocordia homo ille, cùm neque Verbum Dei umquam audiviſſet, ad qualem tamen menſuram [ſanctitatis] exiguo temporis ſpatio pervenerit audiviſtis, eò quod obedientiam amplecteretur & propriam abſcinderet voluntatem. Sed quomodo etiam glorificavit eum Deus, neque permiſit tantam ejus virtutem abire in oblivionem, ſed ſancto cuidam ſeni revelavit, qui & vidit illum inter omnes iſtos Sanctos ipſorum beatitudine fruentem.

Narro vobis etiam aliam rem ſimilem quæ me præſente accidit, ut intelligatis obedientiam, & propriæ carentiam voluntatis ab ipſa quoque morte hominem eripere. Cùm quondam inter diſcipulos Abbatis Seridi verſarer, venit eò diſcipulus cujuſdam magni ſenis ex partibus Aſcalonis, ad quippiam Abbatis ſui nomine percunctandum. Habebat autem in mandatis à ſene, ut veſperi ad cellam propriam reverteretur. Jnterim oborta eſt vehementiſſima tempeſtas, cùm imbribus, & tonitruis, vicinuſque torrens jam erat in pleno fervore exundationis: attamen ille propter ſenis verbum diſcedere

vo-

volebat: nos verò hortabamur illum ut maneret, supponentes fieri non posse, ut è fluvio salvus emergeret. At illi omninò persuaderi non potuit, ut maneret. Postremò, dicimus: ad flumen usque cum illo procedamus. Si enim ipsum viderit, sponte suâ revertetur. Ivimus itaque unà cum eo, & cùm ad flumen pervenimus, exuit ipse vestimenta sua, & alligat illa capiti suo, & accingit maphorium, [seu scapulare] suum, & proijcit semetipsum in flumen, in universum illum fluxum horrendum. Nos autem stabamus obstupefacti, ac trementes ne fortè occumberet. Ille verò pergebat natans statimque in altera ripa deprehenditur, atque induit se vestibus suis, indeque se nobis inclinat & accipit benedictionem abitque currens. Nos autem virtutis vim admirantes hæsimus obstupefacti, quoniam cum timore illuc animnm intendebamus, Ipse verò propter obedientiam suam absque periculo pertransivit. *Obedientia liberat à periculis*

Frater etiam ille quem Abbas ejus ob ipsorum necessitates in pagum miserat ad suũ *n* aprocrisiarium, [seu procuratorem] quomodo cùm se à filia ejus ad turpem mixtionem sollicitari cerneret, ut tantùm dixisset: *Deus Patris mei eripe me*, illicò repertus est in via Scetensi ad patrem suum pergere. Videte vim virtutis, videte verbi efficacitatem, quantum auxilij continet vel ipsa precum patris sui interpellatio? simul ac dixisset, Deus *n* *Oratio patris spiritualis quantum prosit.*

per patris mei preces eripe me;, ſtatim repertus eſt in via.

Humilitas cũ obedientia iungenda.

Conſiderate humilitatem & obſervantiam amborum. In anguſtia verſabantur, volebatque ſenex fratrem mittere ad eum qui annonam ipſis procurabat, & non dicebat ipſi vade; ſed dicebat ipſi, vis abire? ſimiliter & frater, non dixit: diſcedo, ſed dixit ipſi: prout volueris, facio. Timebat enim cùm propter pericula, tum ne patri ſuo eſſet inobediens. Deindè poſtquam magis anguſtiati ſunt, dicit ei ſenex: ſurge, vade. Et non dixit illi: Spero in Deum meum, quoniam protegit te, ſed dicit: ſpero in preces patris mei, quia protegunt te. Similiter & frater, quando tentatus fuit, non dixit, ô Deus meus eripe me! ſed ô Deus propter preces patris mei erue me. Et uterque illorum in preces patris ſui ſperavit.

Videte quomodo obedientiam cum humilitate conjunxerint. *o* Sicut enim currus jugatur, neque poteſt [unus] equus alterum prævertere, [alioquin currus] rumpitur: ita neceſſe eſt, ut obedientia ſibi conjugatam habeat humilitatem.

At quomodo quis hâc gratiâ dignus reddi poſſit, niſi, ſicut dixi, adnitatur proprias amputare voluntates, & poſt Deum dedat ſemetipſum Patri ſuo, in nulla re ipſi diſſentiendo, ſed eâ fide ac certitudine cuncta peragendo, tamquam ipſimet Deo obediat?

Quiſ-

Quiſnam miſericordiam meretur? Quiſnam ſalute dignus eſt? Fertur aliquando iſtiuſmodi ſermonem habuiſſe S. Baſilius cùm ſubindè cœnobia ſua viſitáret, dixiſſeque cuiquam prælatorum: Habéſne aliquem ſalvandorum? Cui reſpondit Abbas: Per preces tuas Domine omnes ſalvari volumus. Dicit illi iterum S. Baſilius: Habéſne aliquem ſalvandorum? Quod cùm ille cognoviſſet, (erat enim & ipſe ſpiritualis) reſpondit, ita. Cùm autem iſte prodiret, dicit ei vir ſanctus da mihi quo laver: abit ille, & fert ipſi ad lavandum. Poſtquam verò lotus erat S. Baſilius, accipit & ipſe Sanctus lavacrum & dicit fratri; accipe & tu ad lavandum. Accipit igitur & ipſe indifferenter à ſancto viro lotionem. Poſtquam ergò ipſum in hoc probaverat, dicit illi iterum: cùm ingreſſus fuero in ſacrarium, veni redde me memorem ut te ordinem. Rurſus ille indifferenter obedit. Et quando vidit S. Baſilium intùs in ſacrario, abit, ipſumque memorem reddit. Tum [vir ſanctus] ipſum ordinat, & ſecum aſſumit. Cuinam enim cùm ſancto illo Deifero viro, niſi benedicto iſtiuſmodi fratri conveniſſet?

S. Baſilius viſitans monaſteria, quid quæreret.

Vos non habetis experimentum p indifferentis obedientiæ, neque noviſtis ejus tranquillitatem. Iterrogavi aliquando ſenem illum Abbatem Ioannem, Abbatis Barſanuphij diſcipulum, & dicebam: Domine, cùm Scriptura dicat:

p Obedientiæ ſecuritas & trãquillitas.

Act.14.22. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*; & videam me nullam habere tribulationem, quid mihi faciendum ne fortè perdam animã meam? nullàm enim tribulationem aut ſollicitudinem habui. Dum autem contingeret me habere hanc cogitationem, accipiebam tabellam & ſeni ſcribebam, (per litteras enim ipſum interrogabam.) Et antequam hoc ipſi proponerem,& ſcriptionem abſolverem,ſentiebam utilitatem & levamen, tanta erat ſecuritas trãquillitaſque. Ego autem cùm neſcirem vim virtutis, & audirem: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum*, timebam quia non habebam tribulationem. Poſtquam igitur hoc ſeni manifeſtaveram, ſic mihi reſpondit: Ne affligaris quia nullam habes moleſtiam; nam quiſquis patrum ſe committit obedientiæ, hanc ſecuritatem & tranquillitatem obtinet.

NOTÆ CORDERI.

a DE *Abnegatione.*] Titulus in M. S. codicibus, & impreſſo Pariſienſi erat confuſior hoc modo: Περὶ ἀποταγῆς διδασκαλία, α'. Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀββᾶ Δωροθέου, διδασκαλίαι διάφοροι, πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς ἀναχωρήσαντος αὐτοῦ ἐκ τῶν τοῦ Ἀββᾶ Σερίδου, καὶ τὸ ἴδιον σὺν θεῷ συστησαμένου μοναστήριον, μετὰ τὴν τοῦ Ἀββᾶ Ἰωάννου τοῦ προφήτου τελευτὴν, καὶ τέλειον σιωπὴν, τοῦ Ἀββᾶ Βαρ-

Βαρσανουφίου περὶ ἀποταγῆς. Ubi nota, illa priora verba Περὶ ἀποταγῆς διδασκαλία. ά posteriori loco ponenda. sunt enim proprius titulus primæ institutionis, reliqua verò sunt titulus generalis totius libri, in quo etiam errore librariorum irrepsit καὶ pro κατὰ τέλειον vel ut M.S. codex Cæsareus habet τελείαν σιωπὴν. significatur enim S. Dorotheus monasterium suum instituisse juxtà perfectum, seu rigidum silentium Barsanuphij. Aliàs enim sensus minimè constat. Quare titulus è Græco sic ordinandus. *S. Patris nostri Abbatis Dorothei Institutiones variæ ad suos discipulos, cùm ab Abbatis Seridi discipulis recessisset, & proprium, adjuvante Deo, monasterium post Abbatis Ioannis Prophetæ obitum, juxta perfectum Abbatis Barsanuphij silentium instituisset: de Abnegatione Institutio prima.* NOTÆ CORDERI.

b *In qua quædam prohibuit, & quædam præcepit.*] In Græco est. ἐν ᾧ τὰ μὲν ἀπηγόρευσεν, τὰ δὲ διηγόρευσεν. Hilarion & Chrysostomus verterant, *In qua aliqua prohibuit, aliqua permisit.* Gallicus interpres similiter: *Par laquelle il luy permit, & defendit aucunes choses.* sed longè plus est in Græco; ait enim Moysem dedisse legem scriptam, *in qua quædam prohibuit, & quædam præcepit.* Quod proprium est legis, quæ in prohibentem & præcipientem aptè distribuitur, uti clariùs explicat cum subjungit οἷον πλέγων, τόδε ποιήσατε, τόδε μὴ ποιήσατε. *Ac si v g. diceret, hoc facite, illud verò nolite facere.* Quod longè plus est

NOTÆ CORDERI

quàm permittere, aut permissivè se habere; nam illa etiam lex permittit de quibus nihil præcipit, neque vetat, adeoque neque secundùm, neque contra legem sunt.

c Vbique prædicat] In Græco impresso est Πανταχοῦ κηρύξεις, quod Hilarion transtulit *ubique prædicabis*, sed legendum κηρύξας *prædicans*, prout Chrysostomus & Gallicus Interpretes transtulerunt, vel quod malim κηρύσσει *prædicat*. Sic habet codex M.S. Cæsareus, refertur enim ad Scripturam, quæ ubique prædicat unum esse Deum.

d Aliæ enim sunt passiones & aliæ sunt peccata, &c.] Locus hic cautè legendus & intelligendus est. Nam distinguens passiones à peccatis, videtur passiones vocare actus ipsos interiores iræ, concupiscentiæ, &c. quamdiu scilicet in opus externum cædis aut adulterij non prodeunt; tunc autem passiones illas sive actus internos iræ aut concupiscentiæ demùm fieri peccata quando ipso externo actu homicidij vel adulterij corporaliter consummatur. Quod in sana Theologia dici non potest. Nam sola interno voluntatis actu ita peccatum in suo genere perficitur, ut actus externi per corpus consummatio, non tantùm non constituat rationem formalem peccati, sed vel per se illam ne intendat quidem augeátve, nisi per accidens, quatenùs scilicet, ob sympathiam efficit., ut voluntas

Ratio peccati in quo consistat.

vehementius moveatur, tenaciusque Nota
peccato afficiatur, illique inhæreat, ut Corderi
omnes Theologi docent. Alterum quod ait passiones emundari per præcepta, peccatum verò tolli per Baptismum seu Sacramenta: hoc non ita intelligendum est, quasi præceptorum observatio, nos reddat penitùs expertes passionum, qualis v. g. fuit status Adami in paradiso ante lapsum, sed eas virtutum exercitatione subigi ac superari per gratiam Dei, ut non admodum sint molestæ; ita nimirum ut motus illi primi passionum ac fomitis, non sint nobis amplius in scandalum, aut ruinam; sed magis acuant nostram diligentiam, & augeant victoriam, gloriamque; ut ipse postmodùm declarat.

e Hic stultus est.] Græcè Οὗτος μωρός ἐστιν, e
οὗτος οὐκ οἶδε χαρῆναι, ἐὰν μὴ ποιήσῃ κακὰς ἡμέρας οὗτος ὑπάγει, τελείως ἀπόλλυται. Id Hilarion vertit: *Hic amens factus est, neque gaudium quid sit novit: experiatur dies malos, abeat, pereat.* Sed, sic interpretando sententiam immutat, & tollit conditionem positam à Deo, quam si homo servet, minimè pereat. Conditio iis verbis exprimitur: ἐὰν μὴ ποιήσῃ κακὰς ἡμέρας; *nisi fecerit malos dies*, id est, *afflictionem patiatur*, uti postmodùm explicat. Jta igitur hunc locum verto: *Hic stultus est, hic non scit frui gaudio: nisi molestos dies egerit, ruit, funditusque perit.* Nimirùm post lapsum è paradiso, scelusque admissum, unam reliquam significat laboris tolerantiam, & vexationem, quâ

NOTÆ CORDERI

homo queat quietem perditam recuperare.

f Locus Centenarij.] M.S. codex Bavaricus habet κεντηναρίω. Cæsareus κεντηναρίω.

Præmium centùplum quale.

Alludit ad illud Matth. 19.vers.29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Pulchrè autem hîc Dorotheus ob oculos ponit & exaggerat stultitiam istorum religiosorum, qui cùm in sæculo amplas possessiones reliquerint, affectus suos in religione vilibus & nullius pretij rebus affigunt, quo fit ut internâ illâ pace animi ac tranquillitate (quæ fructus est mortificationis, & centuplum illud præmium, quod pro rebus in in sæculo relictis, boni religiosi in hac ipsa vita, quasi arrham & prælibationem futuræ ipsorum beatitudinis anticipant) penitùs priventur, & magnis insuper periculis & molestiis sese exponant.

g Colobium est quod caret manicis.] Est

Colobiū quid?

autem tunica manicis destituta, extantibus extra eam brachijs ἀπὸ τοῦ κολοβοῦ quod *breve, mutilum, seu mancum* significat, à verbo κολοβόω, *decurto, mutilo, trunco, castro.* Istiusmodi vestem describit quoque Cassianus lib 1. de Habitu monachali c.5. his verbis: *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitorum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus, ut amputatos habere eos actus, & opera mundi hujus*

sug-

suggerat abscissio manicarum, & ab omni conversatione terrena mortificatos eos velaminis linei doceat indumentum, &c. Vbi benè notat Gazæus Cassiani Colobia quibus utebantur monachi Ægyptij, non omninò manicis caruisse, sed ea infra cubitum desivisse: vel ut ipse loquitur, ferè ad cubitorum extrema pertigisse. De quibus Sozomenus aliam etiam rationē tropologicam seu moralē assignans lib. 3. c. 14. scribit Ægypti monachos χιτῶνας ἀχειριδώτους, hoc est *tunicas sine manicis* habuisse, ut eo signo ostenderent manus se ab injuria & contumelia inferenda habere penitùs alienas. Porrò hujusmodi colobiis similes in vestibus sacris Dalmaticas seu tunicellas videmus, de quibus Anselmus Decretorum collector, hæc tamquam ex Eusebio (sed incertum quo) citat. *A sancto Sylvestro, & Presbyteris ejus colobiorum usus sumpsit initium, & Marcus ac Iulius, & Liberius ex ordine sunt usi. Post hos autem colobia in Dalmaticas commutata sunt.* Hæc ille. Plura vide apud Gazæum ad Cassiani locum suprà citatum. Notæ Corderi

b Et zona pellicea.] Qualis nimirùm in Euangelio tribuitur Ioanni Baptistæ, qui quamvis in palæstina Iudæi zonis uterentur laneis, uti tamen maluit zonā pelliceā, hoc est ex crudo corio, seu villosa pelle, ad imitationem scilicet Eliæ, atque ad corporis afflictationem & macerationem etiam ex zona procurandam. Vnde D. Hieronymus in Epist. 8. ad Demetria- Matt. 3. 4. Zona pellicea quid?

NOTÆ CORDERI dem virginem inter alias laudes senioris Demetriadis loca sancta visitantis: *Stupebat*, inquit, *ad conversationem Eliæ, & Ioannis Baptistæ, quoniam uterque zonâ pelliceâ adstrinxit, ac mortificavit lumbos suos.* Et in Matthæum de Ioanne itidem Baptista scribens: *Zona*, inquit, *pellicea, quâ cinctus fuit & Elias, mortificationis symbolum est.* Hoc exemplo apud Baronium tom. 9. Annalium Anno 938. scribit S. Fulgentius Ruspensis Episcopus consuevisse monachos in Africa pelliceo uti cingulo; quod & Dorotheus hoc loco confirmat. Ceterùm aliis quibusdam monachis zona linea in usu fuit. Nam de Pachomianis id testatur D. Hieronymus in præfatione regulæ S. Pachomij dicens: *Balteolum unusquisque habebat lineum.* Aliis verò cingulum laneum magis placuit, quòd tali cingulo Christus usus credatur. Ea enim cingulorum materies apud Palæstinos vulgaris fuit, à quorum communi more cultuque Christus non recessit. Vnde D. Hieronymus Marcellæ, quæ Palæstinam incoluit è lana cingulum commendat. *Sit*, inquit, *cingulum laneum, & totâ simplicitate purissimum, quod possit magis adstringere vestimentum quàm scindere.* Nonnullos autem fune præcinctos legimus. Nam præter illos Ægyptios, de quibus Cassianus lib. 1. cap. cap. 6. alios item monachos Paulinus epist. 7. describit non balteo, sed reste succinctos. Cujusmodi cingulorum genus, videlicet è funibus con-

contextum, tamquam vilissimum, & infimis mancipiis congruum S. Pater Franciscus mundi contemptor, & paupertatis amator eximius, sibi suisque fratribus utendum delegit.

i Et analabus] id est succinctorium; de quo ita pulchrè Isidorus lib. 19. Etymologici cap. penultimo: *Redimiculum est*, inquit, *quod succinctorium seu bracile nuncupamus, quod descendens per cervicem, & à lateribus colli demissum utrarumque alarum sinum ambit, atque hinc inde succingit, ut constringens latitudinem, vestiat corpus, atque conjungendo componat, hoc vulgò bracile, quasi brachiale vocant, quamvis nunc non brachiorum, sed renum sit cingulum.* Hæc Isidorus. Quo etiam spectat illud Cassiani lib. 1. de habitu monachali cap. 6. sic loquentis: *Gestant etiam resticulas duplices, laneo plexas subtegmine, quas Græci ἀναβολὰς* [pro quo in plurisque vetustioribus exemplaribus legitur ἀναλάβους] *nos verò succinctoria, seu redimicula, vel propriè rebrachiatoria possumus appellare. Quæ descendentia per summa cervicis, & è lateribus colli divisa utrarumque alarum sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt, &c.*

Analabus quid?

k Et cucullus] vel cucullio, vel minùs Latinè cuculla, quod genus est vestimenti seu amictus, caput humerosque circumambiens protegensque de quo Sozomenus lib. 3. cap. 13 ait Τὸ δὲ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς σκέπασμα, ὃ κουκούλιον καλοῦσιν, ὥστε ἐπίσης ἀκεραίως καὶ καθαρῶς βιοῦν τοῖς γάλακτι τρεφομένοις

Cucullus quid?

NOTÆ CORDERI

μθύοις παισὶν οἷς αἱ τοιαῦται κόρυθαι ἐπίκεινται τὸ ἡγεμονικὸν σκέπουσαί τε καὶ περιθάλπουσαι. *In capite verò habent velamen, quod cucullum appellant, quo ostendant se vitam perinde simplicem & sinceram agere, atque pueros lacte nutritos, quibus ejusmodi tiaræ imponuntur, quæ caput protegant, foueantq;.* Addit Nicephorus lib. 9. hist. cap. 19. tegmen illud seu amiculum acuminatum fuisse. Est autem cucullus symbolum innocentiæ atque simplicitatis, ut præter Dorotheum Cassianus observat lib. 1. de habitu Monachi. cap. 4. *Cucullis*, inquit, *perparvis usque ad cervicis humerorumq; demissis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus utuntur ac noctibus, scilicet ut innocentiam parvulorum iugiter custodire etiam imitatione ipsius velaminis commoneantur.*

Quid vocet γεροντικόν?

l Sicut dicitur in libro Seniorum.] Græcè Ὡς λέγει εἰς τὸ γεροντικόν. Eadem verba habentur sæpius in hoc libro, & ab antiquo interprete sæpè non sunt versa, vel etiam non rectè exposita. In quibus illud imprimis notandum, scilicet τὸ λέγει apud Dorotheum idem omninò valere quod λέγεται. Itaque ὡς λέγει, id est, *ut dicitur, ut refertur*. Sic Institutione IV. paulò post medium ὡς λέγει ἐν τῷ προφήτῃ & XIII. Καθὼς λέγει ἐν ταῖς καθολικαῖς ἐπιστολαῖς, aliisque in locis sæpè, in quibus, ut perspicuum est, λέγει pro λέγεται ponitur. Atque hoc modò prior sententiæ pars facilè intelligitur. Altera est, εἰς τὸ γεροντικόν, pro quibus verbis Dorotheus aliàs dicit: ἐν τῷ

γε-

γεροντικοῖς. Sic enim Institutione secundâ circà finem λέγει γὰρ ἐν τῷ γεροντικῷ, ὅτι ἠρώτησεν ἀδελφὸς γέροντα, &c. *Narratur enim in libro Seniorum, fratrem quemdam à sene petiuisse.* ubi similiter antiquus interpres illa verba ἐν τῷ γεροντικῷ minimè attingit aut exprimit. Intelligit autem Dorotheus γεροντικοῦ nomine *Vitas Patrum*, siue seniorum, & Commentarios in quibus seniorum dicta, responsa, documenta, & res mirabiliter gestæ continebantur. Fuerunt illi Commentarij in manibus frequenter omnium Monachorum, qui ad vitæ perfectionem adspirarent, ut de se, deque seniore quodam meminit Zosimas in luculenta oratione cui titulus est Λόγος θαυμασιώτατος, id est *sermo admirabilissimus.* Ponam ipsum locum, quò res de qua agimus fiat illustrior, sic verò habet Ἀναγινωσκόντων ἡμῶν εἰς τὰ Ἀποφθέγματα τῶν ἁγίων γερόντων, ἠγάπα δὲ ὁ μακάριος πάντοτε διέρχεσθαι αὐτά, &c. *Cùm legeremus Apophthegmata sanctorum seniorum, amabat enim beatus ille vir ea percurrere, vixque à legendo respirabat, quòd indè ad omnem virtutem mirificos fructus caperet.* Sanè exprimit γεροντικὸν Dorothei, & vocat Ἀποφθέγματα τῶν ἁγίων γερόντων. S. Benedictus in regulis appellat *Collationes, & vitas Patrum*, Photius ἀνδρῶν ἁγίων βίβλον *sanctorum virorum codicem.* Theodorus Studita in Testamento suo nũcupat τῶν ἁγίων πατέρων καὶ τῶν ἀσκητῶν τοὺς βίους. *sanctorum Patrum & Ascetarum vitas.* Vitæ autem illæ Ascetarum, exquisitæ

NOTÆ CORDERI

NOTÆ CORDERI

sitæ ad virtutem monitiones, eventa, miracula, in hoc maximè γεροντικῷ & similibus libris comprehendebantur.

m Compendiumque aliquod in via reperiens, &c] In Græco est, Εὑρίσκων ἐν αὐτῇ κοπενδιάριον, καὶ ὑπάγων αὐτὸ δι' ἐκείνου τοῦ κοπενδιαρίου προλαμβάνων πολὺ μέρος ἐκ τῆς ὁδοῦ ἐκείνης. Hilarion vertit: *Scipione invento cui innititur, iter magis acceleret, & praoccupet viam.* Chrysostomus: *Scipium reperiat, huic innixus, iter illud suum plurimùm accelerat, & summâ facilitate perficit.* Gallicus eodem sensu dicit: sed patet eos malè accepisse κοπενδιάριον pro *scipione* significat enim *compendium*; vti manifestum est ex ipsa connexione, & verbum προλαμβάνων *praoccupans* satis ostendit agi de viæ compendio, quo scilicet reperto, viator ceteros viâ regiâ & communi progredientes prævertere potest. Vnde sic interpretor: *Compendium aliquod in via reperiens, illudq; subiens, per istud compendium, magnam illius via partem anticipat.* Aptâ sanè similitudine viatoris compendium viarum sectantis ostendit, brevissimam juxtà rectissimamque ad Deum & perfectionem viam esse mortificationis & abnegationis, quâ omnes ambages, circuitus, impedimenta, diverticula omnia præscinduntur & removentur. Sciendum autem compendia esse multiplicia. Aliqua enim multa paucis complectuntur, qualia viri docti ex libris excerpendo selectiora conficiunt, & illa Meursius in

Compendiū quid.

Glos-

Gloſſario notat vocari σωρεμβύα κηπαδιαςά, ſi per ſaturam ſine ordine colligantur, & deſcribantur. Quædam verò compendia dicuntur, quia ex una parte ad alteram tranſiliunt; ſic fit in ſemitis, quæ ab una parte viæ regiæ, per obliquam vel rectam lineam, ad alteram viæ partem breviori ſpatio deducunt, & de hoc compendio hîc agitur.

NOTÆ CORDERII.

n Miſerat ad ſuum apocriſarium; &c.] In Græco eſt. Ον ἔπεμπεν Αββᾶς αὐτ8 διὰ τὰς χρείας αὐτῶν πρὸς τὸν ἀποκρισιάριον αὐτ8 εἰς τὴν κώμην. Quod vertit Hilariô: *Qui miſſus ab Abbate in proximam viciulam ad expedienda quæ opus fuerāt.* Chryſoſtomus *Qui cùm ab Abbate ſuo ad viculum quemdam ad amicum pro quibuſdam rebus neceſſarijs amandatus eſſet.* Eodem modo Gallicus Interpres; ſed neuter eorum exprimit vocem ἀποκρισιάριον, quæ ſignificat propriè *Cœnobij procuratorem*, qui gerebat curam rerum temporalium monaſterij, eratque vir ſæcularis ac conjugatus, ut hîc declaratur, cui prudenter negotia omnia exteriora, & quæ ad corporis ſuſtentationem neceſſaria erant, committebant Abbates, ut Monachi & religioſi, nullis temporalibus negotiis implicati, ſoli Deo liberius vacarent. Eumdem paulò poſt vocat τὸν ποιοῦντα αὐτοῖς ἀπόκρισιν, id eſt, *facientem ipſis proviſionem*, ut barbarè loquimur; ſive *qui annonam ipſis procurabat*; Quod nullus iterùm aliorum Interpretum ſatis expreſſit. Sic Moſchi cap. 88. habes *Thomam* *Apocriſarius quid?*

apo-

NOTÆ CORDERI *apocrisarium cœnobij*. & cap. 145. alium quemdam *apocrysarium Gennadij* Patriarchæ Constantinopolitani: undè colligitur, apocrisarios curasse negotia Ecclesiarum & cœnobiorum. Codex Cæsareus M.S. hoc loco scribit Ἀποκρισιάρειον. Sic enim scribit Justinianus Novellâ sextâ Διὰ τῶν τὰ πράγματα πραττόντων τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν, οὓς ἀποκρισιαρίους καλοῦσιν. id est: *Per eos qui negotia curant sanctissimarum Ecclesiarum, quos apocrysiarios vocant*. Glossa Isidori *Apochrisiarius*, inquit, *minister Romanæ Ecclesiæ*. Glossarium M. S. Camberonense: *Apocrisiarius, secretarius*. Papias vocabulista: *Apochrysarius, thesaurarius, legatus*. Occurrit passim apud Scriptores Ecclesiasticos posterioris ætatis. Fuerunt autem Apocrisiarij, præcipuâ quâdam significatione Legati Pontificum & Ecclesiarum, qui ad gerenda negotia mittebantur. Hincmarus Epist. 3. vocat *Responsales negotiorum Ecclesiasticorum*, quòd Græca vox ἀπὸ τοῦ ἀποκρίνεσθαι, *à respondendo* facta sit. Hinc apud Suidam Apocrisarius dicitur ὁ ἀπὸ τῶν ἀποκριμάτων *à responsis*. Eâ causâ Apocrisiarij Alexandrinæ Ecclesiæ apud Baronium ad annum 497. in libello suo vocant se *responsis ejusdem Ecclesiæ servientes*. Est igitur puerilis illa Glossæ animadversio in Authentica *quomodo oporteat Episcopũ*. Apocrisiarius *dicitur ab* apos, *quod est supra, &* crisis *judicium, quasi constitutus super judicio agendo: vel dic* chrysos *aurum, indè* apochrysarius, *id est, thesaurarius*.

Origi-

Originē Hincmarus loco citato refert in tempora Constantini, qui cùm sedem Imperij sui posuisset Byzantij, *Responsales*, inquit, *tam Romanæ Sedis, quàm aliarum præcipuarum sedium in palatio pro Ecclesiasticis officijs excubabant*. Sed ipsum falli probatur ex eo, quòd multis ante annis reperiatur ea vox in Epistola Zephyrini Papæ, qui sedit anno Christi 203. *Nuntiatum est sedi Apostolicæ per Apocrisarios vestros*, &c. scribit ad Ægypti Provinciæ Episcopos, qui non minus quàm reliqui orbis Episcopi Apocrisiarios suos habebant, qui peregrè mittebantur ad Ecclesiæ res tractandas. Quod è legibus quoque Imperatoriis cognoscitur, ubi Apocrisarij describuntur: *qui res agunt sacrarum Ecclesiarum*, Authentica. *Quem oporteat Episcopum*. Horum igitur imitatione Monasteria suos quoque Apocrisiarios habere cœperunt, qui à Præfectis Cœnobiorum in villas & civitates mittebantur communium negotiorum causâ, fueruntque velut quidam administri & procuratores, & non maximæ quidem inter Monachos dignitatis, ut ex Institutione sexta Dorothei patet. ubi vide quæ annotata sint. NOTA CORD

o *Sicut enim currus*, &c.] Græcè est ὥσπερ γὰρ ζεύγνυται τὸ ἅρμα, καὶ οὐ δύναται ὁ ἵππος περιλαβεῖν τὸν ἄλλον, ἐπικλᾶται, vel ut M. S. Bavaricus codex ἐπεὶ κλᾶται. Hilarion vertit. *Vt enim currus uno equo non satis commodè trahitur, nisi & alterum apponas*. Chrysosto-

NOTA CORDERI

ſoſtomus: *Quemadmodum enim currus duobus equis jungitur, ut commodè trahatur, nec alter alterum, ſi claudicaverit, præcedere aut antevertere poterit.* Gallicus Interpres ſequitur Hilarionem. ſed neuter illorum Græci textus ſenſum exprimit, qui ſic habet: *Sicut enim currus jugatur* [id eſt equis jungitur] *neque poteſt unus equus alterum prævertere, alioquin* [currus] *rumpitur.* Senſus enim huius ſententiæ eſt, currum frangendum ſi alter equorum violentè alterum prævertere voluerit.

Obedientia indiſcuſſa qualis?

p Vos non habetis experimentum, &c.] Græcè, Υμεῖς ὐκ ἔχετε πεῖραν ὑπακοῆς ἀδιακρίτυ. Antiquus Interpres vertit: *Vos autem omninò fratres adhuc expertes video hujuſcemodi obedientiæ indiſcretæ.* Malim ſic: *Vos non habetis experimentum indifferentis obedientiæ.* Agit enim de præſtabili genere obedientiæ à SS. Patribus plurimùm laudato, quod fit à cæco & incurioſo, atque in id ſolum intento, ut juſſa imperantis ſimplici animi devotione exhauriat; S. Antiochus ſimiliter hom. 39. iſtiuſmodi obedientiam vocat ἀδιάκριτον *non diſcernentem* nec diſcutientem majorum imperiū. Quos imitatus Caſſianus odedientiam *ſine diſcuſſione*, & ſine examine nuncupat. Hinc Ioannes Climacus, definiebat obedientiam *inexaminatum atque indiſcuſſum motum illius qui obtemperat, & diſcretionis depoſitionem inter divitias diſcretionis.* Et alias uno verbo nominat *cæcam* de qua S. Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum ita ſcribit.

Præ-

Præpositum monasterij timeas ut Dominum, diligas ut parentem, credas salutare quidquid ille præceperit, nec de majorum sententia judicet cujus officium est obedire, & implere quæ jussa sunt. Vide de hac odedientia S. Basilium in Regulis & Constitutionibus Monasticis.

INSTITVTIO II.

DE HVMILITATE.

DIxit quidam è senioribus, *a* ante omnia opus habemus humilitate, in omni sermone quem audimus, parati dicere, *ignosce*. Per humilitatem enim omnes inimici & adversarij [conatus] destruuntur. Quæramus, quæ sit vis sermonis istius senis. Cur dicit: Ante omnia opus habemus humilitate, & non potiùs, ante omnia opus habemus continentiâ? Ait enim Apostolus: *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Vel cur non dicit: Ante omnia nobis opus est timore Dei? Dicit enim Scriptura: *Initium sapientiæ timor Domini*. Et rursus: *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Cur item non dicit: Præ omnibus indigemus misericordiâ, vel fide? Dicit enim [Scriptura] *Per misericordiam & fidem purgantur peccata.* Et Apostolus ait: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Si igitur impossibile est placere sine fide, & per misericordias & fidem purgantur delicta, & per timorem Domi-

a Humilitas maximè necessaria.

1. Cor. 9. 25.

Psal. 110. 10

Prov. 15. 27.

Ibid.

Heb. 11. 6.

Domi-

Domini declinat omnis à malo, atqu initium sapientiæ est timor Domini, & qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: Quomodò ergò dicit nos ante omnia opus habere humilitate, atque hæc omnia, quæ sunt adeò necessaria, omisit?

Vult ostendere nobis senex, quòd nec ipse timor Dei, neque misericordia, *b* neque fides, neque continentia, neque alia ulla virtus possit perfici absque humilitate. Propterea dicit: Ante omnia opus habemus humilitate, in omni sermone quem audimus, parati dicere, *ignosce*. Per humilitatem enim omnes inimici & adversarij [machinationes] destruuntur. Ecce videtis fratres quanta sit vis humilitatis, videtis qualem efficacitatem habeat dicere, *ignosce*.

Diabolus cur inimicus & adversarius vocetur.

Cur autem diabolus non solùm inimicus, verùm etiam adversarius appellatur? Jnimicus dicitur, in quantum osor hominis, osor boni, & insidiator est: Adversarius verò nuncupatur, quia ad omnè opus bonum impedimento nobis esse conatur. Vult quispiam orare, ille opponit impedimentum, per pravas cogitationes, per mentis captivitatem, per acediam. Vult quis alicujus misereri? ille impedit per avaritiam, per incuriam. Vult quis vigilare? ille impedit per inertiam, per socordiam; & in quavis re bona quam aggredimur, ille nobis adversatur, quapropter non solùm inimicus, sed & adver-

versarius nuncupatur. Per humilitatem itaque omnes inimici & adversarij machinamenta destruuntur.

Reverà enim magna est humilitas; sed & quilibet Sanctorum per hanc humilitatis viam incessit, & per laborem iter contraxit, juxta illud: *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea.* Item: *Humiliatus sum, & liberavit me Dominus.* Sola enim humilitas (uti dicebat senex ille Abbas Joannes) potest nos paulatim adducere [ad perfectionem] Humiliemur igitur & nos paululum, ut salvemur. Etsi ob imbecillitatem laborare non possumus, humiliari saltem studeamus, & confido in misericordia Dei, quòd propter illud ipsum modicum, cum humilitate factum, inveniemur etiam nos illic in loco sanctorũ, qui multa laboraverunt, & Deo servivervnt. Certè infirmi sumus, neque valemus laborare; Numquid humiliari non possumus? Beatus est, ô fratres, qui habet humilitatẽ. Res magna est humilitas.

Psal. 21. 18.

Psal. 114. 6.

Humilitas ducit ad perfectionem.

Pulchrè autem Sanctus ille designabat eum qui veram habet humilitatem. Quocircà dixit: quoniam humilitas non irascitur, irritat neminem, & hæc res quasi peregrina esse videtur. Humilitas enim sola inani gloriæ adversatur, & ab hac hominem servat immunem. Ceterùm irascitur etiam aliquis, cùm propter pecunias, tùm propter cibos: quomodo ergò dicit humilitatem nec irasci, nec irritare quem-

Humilitas gratiam Dei allicit & fugat passiones.

quemquam? Humilitas res magna eſt, ut diximus, & poteſt etiam gratiam Dei ad animam attrahere. Ipſa deinde gratia Dei cùm advenit, à duabus iſtis aliis ſanè gravibus paſſionibus animã tuetur. Quid enim gravius eſt, quàm irâ excandeſcere ac proximum irritare? Hinc ſenex quidam dixit peregrinum prorsùs eſſe monachis iraſci. Profectò ſi talis non ſtatim per humilitatem protegatur, paulatim ad ſtatum dæmonis devergit, dum [alios] turbat, & conturbatur. Jdcircò nimirum dicit humilitatem non iraſci, neque quemquam irritare. Quid autem dico quòd à duabus hiſce paſſionibus tueatur, imò verò etiam humilitas ab omni paſſione, & ab omni tentatione animam protegit.

c Humilitas evadit laqueos diaboli.

c Cùm beatus Antonius omnes diaboli laqueos expanſos cerneret, ac ſuſpirans Deum interrogaret, quiſnam eos evaderet? Reſpondit ei Deus humilitatem eos evadere; & quiddam aliud admirabile adjecit; quia non tangunt illam. Cernis vim firmam? Cernis gratiam virtutis? Nihil profectò fortiùs humilitate. Si quid autem humili acciderit amarum, illicò ſubingreditur ſemetipſum, illicò ſe pœnâ dignum judicat, non decernit quemquam accuſare, non præſumit in alios cauſam reijcere. At ſine perturbatione, ſine moleſtia, cum omni tranquillitate deinceps pergit, quoniam non iraſcitur, nec irritat quemquam. Jtaque præclarè

dixit,

dixit sanctus ille, nos præ omnibus indigere humilitate.

Duplex autem est humilitas, sicut & superbia duplex est. Prima superbia est quando quis fratrem nihili facit, quando ipsum vilipendit, ac si homo nauci sit, & semetipsum illi anteponit. Talis nisi actutum resipuerit, & se emendaverit, sensim etiam ad secundam superbiam vergit, ut & adversus Deum extollatur, ac sibi ipsi bona sua opera adscribat, & non Deo.

Certè fratres mei quemdam novi olim, qui ad hunc miserabilem statum devenit, ac initio quidem si quis fratrum ipsius quippiam proferret, unumquemque despuebat, ac dicebat: Quis est iste? Nemo est præter Zosimam, & socios ejus. Deinde cœpit etiam hos vilipendere, ac dicere: Nemo est præter Macarium, & paulò post cœpit dicere: Quis est Macarius? Nemo est prçter Basilium & Gregorium. Atque etiam non multò post, hos quoque cœpit spernere, dicens: Quis est Basilius, & quis est Gregorius? Nemo est nisi Paulus & Petrus. Cui ego dixi: Certè frater hos etiam contemnes. Credite mihi, post exiguum tempus incepit dicere: Quis est Petrus, quis est Paulus? Nemo est nisi sancta Trinitas. Hoc modo postmodùm etiam contra Deum ipsum intumuit, usque adeò demens erat. Propterea fratres contra primam superbiam pugnare sedulò debemus ne paulatim, in absolutam seu finalem superbiam incidamus. *Superbia sensim excrescit.*

d *Mundana superbia qualis.*

Ceterùm est & *d* mundana superbia, & monachalis. Mundana superbia est, quando quis adversus fratrem suum insolescit, tamquam ditior, vel tamquam formosior, vel tamquam ornatior, vel tamquã nobilior ipso. Quando igitur viderimus nosmetipsos inaniter gloriari, vel quia monasterium nostrum maius, aut opulentius est, aut quia multos fratres habemus, noverimus nos adhuc mundanâ superbiâ teneri.

Contingit verò aliquando etiam in naturalibus quibusdam inaniter quempiam gloriari? verbi gratia, vanè quis extollitur quòd pulchram vocem habeat ac probè psallat; vel quòd modestus sit, ac nitidè ministret. Hæc prioribus quidem digniora ut sint; verumtamen & ipsa secularem redolent tumorem.

Quæ sit superbia monachalis.

Monachalis verò superbia est, quando quis inaniter gloriatur, ut vigilans, ut iejunans, ut religiosus, ut observans instituti, ut diligens. Nonnumquam verò etiam quis humiliatur ob gloriolam aliquam. Hæc sunt superbiæ monachalis. Facultatis est nostræ non omninò superbire; alioquin potius in monasticis, & non in secularibus superbiendum.

Ecce diximus, quæ sit prima superbia, & quæ sit secunda: similiter diximus quæ sit mundana & quæ sit monachalis superbia. Reliquum est, ut discamus quales sint illæ duæ humilitates?

e Humilitas duplex est, & qua illa.

e Prima humilitas est, censere fratrem suum

suum se prudentiorem, & in omnibus se superiorem & absolutè (ut vir ille sanctus aiebat) omnibus se submittere. Secunda verò humilitas est rectè facta Deo adscribere. Hæc est perfecta humilitas Sanctorum, quæ naturaliter in anima nascitur ex mandatorum executione. Quémadmodum enim in arboribus copioso fructu onustis, fructus ipse ramos incurvat deorsum, eosque detrahit: ramus verò qui non gestat fructum, in altum attollitur, & rectus assurgit. Sunt & nonnullæ arbores, quarum quidem ramus quamdiu in altum erigitur, non ferunt fructum; si quis autem acceptum lapidem, de ramo aliquo suspenderit, eumquedeorsum attraxerit, tunc fructum facit; sic & anima, quando humiliatur tunc fructum adfert, & quantum fructum facit, tantumdem humiliatur. Etenim viri sancti quantò propinquiores sunt Deo, tantò magis se vident peccatores.

Quantò quis Deo vicinior fit, tantò magis videt se peccatorē esse

Memini cùm aliquando de humilitate verba faceremus, & Gazensis quidam vir illustris audiret nos istud ipsum asserentes, quòd quantum quis propinquior sit Deo, tantò magis se videat peccatorem, admiratione defixum dixisse: Quomodo fieri hoc potest? Ignorabat enim, & volebat scire rationem. Tum dico illi: Domine Primas, dic mihi quid censes temetipsum esse in tua civitate? respondit ille: censeo me magnum, & primum civitatis. Dico illi: si fortè Cæsaream

dveris, quid ibi de te senties? Habebo, inquit, me viliorem magnatibus qui illic degunt. Tum ego illi: si autem abieris Antiochiam, quem te ibi faceres? cui ille ait: velut quemdam rusticum ibi me putarem.

Dico illi tamdem si Constantinopolim adiveris, ad Jmperatorem, quid de te isthic senties? Haberem me inquit, ut pauperem quemdam & egenum. Tum ego illi: ecce, inquam, ita se habent viri sancti, quantò propius ad Deum accedunt, tantò magis se vident esse peccatores. Abraham enim quando vidit Dominum, terram & cinerem semetipsum appellavit Isaias verò dixit: ô miser & impurus sum ego. similiter & Daniel. quando erat in lacu cum leonibus, & accessit ad eum Habacuc habens panem, illique dicens: *Tolle prandium, qdod misit tibi Deus.* Respondit, dicens: *Recordatus fuit mei Deus.* Quali humilitate præditum erat cor ejus, quando erat in lacu cum leonibus, & non nocebant ei: idque non tantùm semel, sed & secundò. Et posteà miratus fuit, dicens *Recordatus est enim mei Deus*,

Abraha. Isaiæ & Danielis humilitas.
Gen. 18. 27.
Isa. 6. 5.
Dan. 14. 36.

Videtis humilitatem sanctorum, quo pacto affecta sint corda illorum? Sed neque à Deo ad opem hominibus ferendam missi, admittebant [legationem] præ humilitate gloriam illam fugientes. Quemadmodum enim quispiam holoserico indutus, si lacerna ipsi immunda inijciatur, illam refugit, ne pretiosum ejus indu-

Sancti fugientes gloriã humanam, speciosa munia detrectabant.

indumentum commaculetur; ita & viri sancti virtutibus induti, humanam quoque gloriam devitant, ne ab illa coinquinentur. Qui verò gloriæ cupidi sunt, similes sunt alicui nudo qui usquequaque cupit invenire partem aliquam lacernæ, vel aliud quippiam, quo turpitudinem suam contegat. Pari modo qui virtutibus nudus est, humanam gloriam affectat.

Delegati igitur à Deo viri sancti ad opem hominibus ferendam, præ humilitate [munus illud] detrectarunt. Ac Moyses quidem dicebat: *Obsecro te Domine, delige alium potentem, ego enim sum gracili voce & tardâ linguâ.* Ieremias verò dicebat: *Iunior ego sum.* Denique Sancti omnes humilitatem hanc, (ut diximus) ex observatione mandatorum Dei possederunt. Hujusmodi autem humilitatem, nemo potest verbis exprimere quo pacto sese habeat, & quomodo animæ innascatur, nisi prius illam homo didicerit experimento; Hinc sermone illam addiscere nemo potest.

Exod. 4. 10.

Ier. 1. 6.

Vera humilitas animo sentitur, sed verbis non exprimitur.

De humilitate quandoque verba faciebat Abbas Zosimas & aderat fortè ibi Sophista quidam; hic cùm audiret quæ dicebantur, volens accuratius rem addiscere, ait seni: dic mihi, quomodo te peccatorem existimas? nónne scis te sanctum esse? nunquid nosti te virtutibus pollere? Ecce vides quomodo mandata exequaris? Quo pacto talia faciens, existimas te peccatorem? Senex autem non

reperiens quo id responso explicaret: non novi, inquit, modum quo tibi hoc explicem; verumtamen ita sentio. Sophista igitur ipsi adversabatur, scire volens modum quo se res haberet. Senex verò minimè reperiens quomodo ipsi rem hanc exponeret, sanctâ suâ simplicitate, ne pervertas me inquiebat, equidem ita sentio. Cùm igitur ego senem in responso hæsitantem viderem, dico ipsi: Numquid fortassis ita se res habet, sicut ars sophistica & medica, quando quis eam rectè callens exercet, paulatim ipso exercitio innascitur quidam habitus medico vel sophistæ, neque potest dicere, aut explicare, quo pacto illius artis habitum acquisiverit, dum anima sensim sine sensu, ipsum ex artis exercitatione concepit. Idem etiam usu venit in humilitate, dum ex mandatorum operatione habitus quidam humilis nascitur, qui sermone exprimi non possit. Vt igitur Abbas Zosimas hoc audivit, & statim me complexus est, mihique dixit: rem ipsam invenisti, ita se habet quemadmodum dixisti, sed & Sophista cùm hoc audivisset, curatus est; & hanc rationem ipse admisit.

Perfecta humilitas exercitio comparatur, & percipitur.

Quin & Seniores dixèrunt nos quædam faciendo cognoscere humilitatem: sed ipsam insitam ejus prout in se est, affectionem nemo potuit explicare. Hinc Abbas Agathon cùm esset moriturus; & fratres ei dicerent: etiámne tu times Pater? Respondit: hactenus pro viribus man-

Agathonis morientis responsum.

mandata custodire conatus sum; verumtamen cùm homo sim, undenam noverim utrum opus meum Deo placuerit? Aliud enim est judicium Dei, & aliud hominum. Ecce oculatos nos fecit ad cognoscendam humilitatem, viamque nobis dedit ad illam capessendam. Modum autem, quo in anima nascatur, sicut sæpè dixi, verbis explicare nemo potuit, neque ratione comprehendere, nisi cuius anima digna fuerit habita, quæ ex operibus ipsam addisceret.

Quid porrò ipsam gignat, Patres docuerunt. Narratur enim in libro seniorum fratrem quemdam à sene petivisse, quid sit humilitas? Cui senex: humilitas, inquit, magnum opus est, & divinum: via porrò humilitatis sunt labores corporei scitè assumpti, ac tui ipsius sub omnibus constitutio. Hæc est via humilitatis: ipsa verò humilitas divina est & incomparabilis.

Labores corporei & iugis oratio ducunt ad humilitatem.

Sed cur ait labores corporeos perducere animam ad humilitatem? Quâ ratione labores corporei virtutes sunt animæ? Quia nimirum subesse omnibus (ut superius dicebamus) adversatur primæ superbiæ. Quo enim pacto majorem se fratre suo, existimare quis poterit, vel in aliquo extolli, vel accusare aut vilipendere quempiam, qui semetipsum omnibus inferiorem gerit? Similiter etiam manifestum est jugem orationem secundæ superbiæ opponi. Patet enim humi-

lem & devotum, (utpote cognoscentem, nil boni ab anima sine Dei ope ac protectione perfici posse) non cessare indesinenter orare Deum, ut misericordiam secum faciat. Etenim qui jugiter Deum orat, si quid recti facere dignus fuerit, novit utique unde id rectè gesserit. nec efferri potest, neque propriæ virtuti adscribere, sed omnia bona opera Deo adscribit, ipsique semper gratias agit, atque eum jugiter invocat tremens ne tali auxilio excidat, atque impotentia sua patefiat. sicque per humilitatem orat, & per orationem fit humilis, & quasi semper sic benè operatur, semperque humiliatur: & quantùm humiliatur, [tantumdem] adjuvatur, & proficit per humilitatem.

Cur labor corporeus iuvet ad humilitatem. Cur autem dicit labores corporeos gignere humilitatem? Quid habet in se labor corporeus ad animę dispositionem? Rem vobis edissero. Postquam anima nostra per mandati transgressionem à suo statu excidit, tradita est (ut Divus ait Gregorius) concupiscentiæ, atque erroris libertati, & corporea dilexit, ac modo quodam quasi quid unum cum corpore inventa est, totaque caro facta est, iuxta illud: *Non permanebit spiritus meus in hominibus his, quia carnes sunt.* (Gen.6.3.) Et quasi compatitur simulque afficitur hæc misera anima iis quæ patrantur in corpore. Propterea dixit senex ille; laborem corporeum sternere viam ad humilitatem. Aliter enim,

enim afficitur anima benè valentis, & aliter ægrotantis, Item aliter esurientis, & aliter saturati. Eodem modo rursus aliter afficitur anima insidentis equo, & aliter insidentis asino. Item aliter sedentis in throno, & aliter sedentis humi; aliter indumenta pulchra gerentis, & aliter vestimenta putida gestantis. Labor igitur humiliat corpus: corpore autem humiliato, simul etiam anima humiliatur. Quamobrem rectè dixit laborem corporeum sternere viam ad humilitatem.

Humiliato corpore per sympathiam quoq. anima humiliatur.

Hac de causa cùm Evagrius à blasphemia oppugnaretur, nec ignoraret à superbia blasphemiam provenire, & humiliato corpore humiliari pariter & animam; quadraginta dies sub dio transegit, ita ut etiam corpus illius non secus atque agrestia animalia vermibus scaturiret. Vtique hic labor, non propter blasphemiam, sed propter humilitatem assumptus fuit. Præclarè igitur dixit senex labores corporeos viam sternere ad humilitatem. Deus bonus humilitatem nobis largiatur, quoniam & à plurimis malis hominem liberat, & à magnis ipsum protegit tentationibus.

NOTÆ CORDERI.

ANte omnia opus habemus humilitate, &c.] *a* Hæc est communis doctrina Sanctorum. Nam sicut in ædificatione domus, prius de fundamento, quàm de ceteris par-

Humilitas & fundamentū virtutum.

NOTÆ CORDERI. partibus cogitamus, ita prorsùs in vitæ spiritualis fabrica principio de humilitate curandum est, & de ejus adeptione cogitandum, ut moles ædificij spiritualis secura consistat. Id pulchrè docet nos D. Augustinus lib. 1. de Verbis Domini serm 10. *Cogitas*, inquit; *magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis. Et quantam quisque vult & disponit superimponere molem ædificij, quantò erit maius ædificium, tantò altius fodit fundamentum.* Et ad finem ejusdem sermonis ait: *Sed quia magnum fastigium est, de fundamento cogita. Quo inquis fundamento? Disce ab illo quoniam mitis est & humilis corde. Hoc in te fode fundamentum humilitatis, & pervenies ad fastigium charitatis*, &c. Hisce similia passim inculcant Patres. Vnde S. Cyprianus sermone de Nativitate Christi humilitatem appellat *fundamentum sanctitatis.* S. Gregorius lib. 27. Moral. cap. 27. vocat *originem virtutis.* Quamobrem rectè senex ille dixit *ante omnia opus esse humilitate*, quia quidquid sine illa ædificatur, subitò corruet, & labor omnis fructu vacuus permanebit. Quam veritatem Cæsarius Arelatensis Episcopus Hom. 2. viros religiosos alloquens, sic illustrat: *Qui*, inquit, *spiritualem fabricam ædificare Christo adjuvante cœpistis, fundamentum veræ religionis supra petram humilitatis collocare debetis. Qualibet enim fabrica, quamvis sublimis & ampla sit, si firmum non habuerit fundamentum, cit.*

dela-

delabitur in ruinam; Sic est fratres dilectissimi, & constructio spiritualis. Qualibet bona quis habeat, si vera humilitatis fundamentum habere noluerit, firmiter stare non poterit, &c. Sic ille. NOTÆ CORDERI

b Neque fides, neque continentia, neque alia ulla virtus potest perfici absque humilitate] Omnis enim Christiana virtus usque adeo ab humilitate dependet, ut sine humilitate, illicò evanescat. Hoc indicāt illa verba S. Gregorij lib. 27. Moral. cap. 27. *Quia enim origo virtutis humilitas est, illa in nobis virtus veraciter pullulat, quæ in radice propria, id est humilitate, perdurat, à quâ nimirum, si abscinditur, arescit: quia vivificantem se in intimis humorem charitatis perdit.* Hinc fides quidem in primis humilitatem diligit, quæ Christum filium summi Dei humilem proponit, & in viro justo contemptum sui, originem exaltationis esse decernit. Spes verò similiter humilitatem amplectitur; quia per scalam humilitatis ad fastigium regni cælestis se venturam esse confidit. Charitas item humilitati amoris nexibus fœderatur;; quoniam cùm ipsa, ut inquit Paulus, non infletur, & non sit ambitiosa, ab hac pulcherrima filia sua, sibique charissima limites moderationis acquirit. Prudentia denique Iustitia, Fortitudo, Temperantia & aliæ virtutes sub his comprehensæ, humilitati junguntur; nec Prudentia erit prudens, nisi ad suum finem consequendum humilitatem eligat: nec Iustitia ju- *Nulla virtus absque humilitate cōsistit.*

Notæ Corderi

sta, nisi ad tribuendum majoribus quod eis debetur, humilitatem assumat: nec robusta Fortitudo nisi motibus superbiæ resistat: nec Temperantia moderata, nisi effrenatum appetitum honoris cohibeat, quæ omnia manifestè probant nullam posse virtutem perfici absque humilitate.

c Cùm B. Antonius omnes diaboli laqueos expansos cerneret, &c.] Vide hæc in Vitis Patrum lib. 3. fol. 519. & lib. 5. fol. 620. secundæ editionis Heriberti Rosweydi nostri.

Superbia duplex.

d Ceterùm est & mundana superbia, & monachalis.] Similem superbiæ distinctionem agnoscit & explicat D. Gregorius lib. 34. Moralium cap. 19. his verbis: *Sciendum, quòd hæc ipsa de qua tractamus, elatio alios ex rebus sæcularibus, alios verò ex rebus spiritualibus possidet. Alter enim intumescit auro, alter eloquio, alter infimis & terrenis rebus, alter summis cælestibusq; virtutibus: una tamen, eademq; res ante oculos Dei agitur, quamvis ad humana corda veniens in eorum obtutibus diverso amictu palliețur.* Hæc Gregorius, quibus similia Cassianus lib. 12 Instit. cap. 2. & Smaragdus Abbas in cap. 4 Regulæ D. Benedicti adferunt.

Humilitas duplex.

e Prima Humilitas est, &c.] Humilitatem hîc bifariam distinguit; primam scilicet assignans in ordine ad proximum, quâ nos omnibus postponamus, alteram in ordine ad Deum, quâ illi omnia bona adscribamus. Varij Doctores varias humilitatis distributiones, & gradus assignant,

nant, & quamvis dissentire videantur, à vero non deviant. Quoniam aut verbis solis discrepant, aut si in re ipsâ discrimen est, quos gradus unus minutatim posuit, alius generaliter comprehendit. Ac Prosper quidem Aquitanus epist. ad Demetriadem duos quoque gradus humilitatis exposuit, alterum quo proximis tamquam melioribus bona pendimus: alterum quo mala illata æquanimiter sustinemus. Diadochus Episcopus sanctissimus lib. de perfectione spirituali cap. 95. duos alios gradus humilitatis ponit: alterum quem generat vis alicujus adversitatis illata: alterum quem procreat abundantia lucis & devotionis immissa. Strabus Fuldensis in Glossa Matt. 3. tres ponit gradus per comparationem ad majores, æquales & minores in hunc modum: *Perfecta*, inquit, *humilitas tres habet gradus. Primus est, subdere se majori, & se non præferre æquali, qui est sufficiens. Secundus est, subdere se æquali, nec præferre se minori, & hic dicitur abundans. Tertius gradus est, subesse minori, in quo est omnis justitia.* Eosdem gradus tradit S. Bonaventura in opusculo quod inscribitur, formula aurea de gradibus virtutũ cap. 3. ubi diversas istiusmodi distinctiones humilitatis affert. S. Laurentius Justinianus numerum istorum graduum auget: sex enim constituit lib de Humilitate cap. 7. *Primus est, si homo se peccatorem, & cõtemptu dignum agnoscat; secundus si affectu vilia de se sentiat. Tertius si sua peccata, prout oportet, dete-*

NOTÆ CORDERI.

Varij sunt gradus humilitatis.

NOTÆ CORDERI

detegat. Quartus, si mala, quæ de se dicit, credi appetat. Quintus, si despici & injuriâ affici velit. Sextus, si opprobria esuriat, & convitia atque injurias sitiat, & in persecutionibus glorietur, juxta illud: Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU *Christi*. S. Anselmus lib. de similitudinibus à cap. 100. usque ad 108. septem gradus humilitatis latè prosequitur. Sanctus denique Patriarcha Benedictus in regula cap. 7. humilitatis gradus vsque ad duodecim protrahit quos Trithemius vir apprimè eruditus hisce versibus comprehendit.

Iustorum graduum primus timet omnipotentē,
Illecebris carnis submittit fræna secundus,
Tertius Abbati supponit se reverenter,
Convitijs spretis, quartus patienter obedit;
Abbati referat quintus penetralia cordis,
Vilis & indignus constat, se judice sextus.
Cunctis se credit fore septimus inferiorem,
Scit nihil octavus, nisi quod fert regula cellæ:
Non loquitur nonus, dum non interrogat alter;
Proscribit risum decimus, damnatq; cachinnū.
Vndecimus loquitur rationis paucula verba,
Spectat humum semper duodenus vertice flexo.

INSTI-

INSTITVTIO III.

a DE CONSCIENTIA. a

CVm Deus fecit hominem, inseruit ipsi nescio quid divinum, nempè cogitationem quamdam fervidam & illustrem scintillæ rationem obtinentem, quę mentem illustraret, illique ostenderet discrimen boni à malo. Id conscientia vocatur, quæ est Lex naturalis. Hanc sibi volunt putei b quos fodit Iacob (ut Patres asseruerunt) & Philisthiim aggere opplevērunt. Id est conscientiæ obsequendo Patriarchæ Sanctique omnes ante legem scriptam Deo placuerunt. Hâc defossâ, & ab hominibus per irruptionem peccati proculcatâ, opus fuit nobis lege scriptâ, opus fuit sanctis Prophetis, opus fuit ipso adventu Domini nostri Iesv Christi, qui illam revelaret & excitaret, ad scintillam istam extinctam denuò resuscitandam, per sanctorum observationem mandatorum.

Conscientia homini velut lex quædam insita.

b

Conscientia per peccatum proculcata.

Modò igitur in nostra est potestate illam rursus vel defodere, vel sinere ut splendore suo micet, ac nos illuminet, si ipsi obsequamur. Nam quando conscientia nobis dictat, hoc vel illud facito, & contemnimus; rursùmque admonet, & non facimus, sed persistimus ipsam conculcare: tunc utique illam defodimus, & præ onere illi imposito nequit amplius

aperte nobis loqui; sed sicut lucerna per speculum, ita incipit nobis obscurius & tenebricosius res ostẽdere, & sicut in profluxu aquæ multis fossionibus turbatæ, nemo potest suam faciem agnoscere, similiter contingit ut minimè sentiamus quæ nobis nostra dictat conscientia, usq; adeo ut ferè arbitremur eâ nos carere.

Conscientia peccato obscuratur, sed non penitus extinguitur. Sed nemo est qui eam non habeat. Nam (ut jam diximus) divinum quiddam est conscientia, nec perit umquam; sed continuò nos admonet officij, at nos id minimè percipimus, eo quod contemnimus (ut dixi) & conculcamus illam. Idcircò Propheta luget Ephraim, & dicit: Oppressit Ephraim adversarium suum, & conculcavit judicium. Adversarium vo-

Matt. 5.26. cat conscientiam; unde & in Euangelio dicitur *Esto consentiens adversario tuo dum es in via cum eo, ne fortè tradat te judici, & judex tradat te ministris, & mittant te in carcerem. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

Conscientia cur dicatur adversarius noster. Cur autem conscientiam vocat adversarium? Adversarius dicitur, quia pravæ nostræ voluntati semper adversatur, & nos arguit dum non agimus quod debemus; & rursum cùm agimus quod non debemus, nos accusat. Proptereà vocat illam adversarium, & admonet, dicens: *Esto consentiens adversario tuo, dum es in via cum eo.* Via, (ut ait Divus Basilius) hic mundus est.

Studeamus igitur fratres custodire con-

conſcientiam noſtram, dum ſumus in hoc mundo, non permittentes ut ipſa nos in re quapiam redarguat, & ne vel in minimo quidem omninò illam umquam conculcantes, ut ſciatis nos ex his parvis ac naturâ vilibus, in rerũ etiam maximarum contemptum devenire. Cùm enim cœperit quis dicere: quidnam intereſt, ſi verbulum hoc locutus fuero? Quidnam refert, ſi modicum hoc comedero? Quidnam eſt, ſi in hanc rem intendero? Ex iſto, quid eſt hoc? & quid eſt illud? Aſſumit quis pravam & amaram conſuetudinem, & incipit etiam in magnis & gravioribus contemnere ac conculcare propriam conſcientiam; & ſic deinceps per partes proruens, periclitatur ne in abſolutam incidat ſenſuum privationem. *Conſcientia etiam in minimis non negligenda.*

Attendamus itaque fratres, ne parva negligamus, néve illa, tamquam nullius momenti ſint, contemnamus. Certè non ſunt parva: cancer eſt, mala conſuetudo eſt, advigilemus [inquam] & curemus levia, dum adhuc levia ſunt, ne fiant gravia. Tam actio proba, quàm peccatum à parvis incipiunt, & ad magna, vel bona vel mala perducunt. Quare admonet nos Dominus, ut conſcientiam noſtram obſervemus, ac ſi fortè aliquem privatim obteſtaretur, dicens: vide miſer, quid agas. ſobrius ſis & vigilans. *Eſto conſentiens adverſario tuo, dum es in via cum eo.* Et rei periculum atque timorem ſubinfert, di- *Mala conſuetudo cancer eſt.* Matt. 5. 26.

cens:

cens: *ne fortè tradat te Iudici, & Iudex ministris, & mittant te in carcerem.* Quid tum? *Amen dico tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Hæc itaque conscientia (ut modò dicebam) nos arguit & in bono, & in malo, præmonstratque nobis, & quid agendum, & quid non agendum. Hæc eadem rursus nos accusabit etiam in futuro sæculo. Idcircò dicit: *ne fortè tradat te Iudici*, &c.

Quomodo conscientia servetur ergà Deum.

Porrò conscientiam custodire multis contingit ac diversis modis. Vult enim quis custodire conscientiam erga Deum, & erga proximum, & erga res materiatas. Ac erga Deum quidem, ne præcepta eius contemnat; quin ut etiam in iis, in quibus nemo mortalium ipsum intuetur, nemo repetit, nemo judicat, ipse Deo conscientiam suam in occulto custodiat. Exempli gratia. Neglexit orationem, ascendit in cor ejus prava cogitatio, & non advigilavit, nec seipsum coërcuit, sed consensit. Vidit proximum suum aliquid dicentem, aut facientem, vel ut fieri solet, etiam suspicatus est, & condemnavit eum. Et absolutè loquendo, quæcumque in occulto fiunt, quæ nemo novit nisi Deus & conscientia nostra, custodire debemus. Atque hæc est conscientia quò ad Deum.

Quomodo servetur conscientia quo ad proximũ.

Quò ad proximum verò [conscientia] est, ne quis omninò faciat aliquid quod novit proximum lædere vel affligere, sive in opere, sive in verbo, sive in gestu, sive

in aſpectu. Etenim eſt & geſtus, qui (ut frequenter dixi) lædere proximum poſſit, ſimiliter & aſpectus. Atque abſolutè loquendo; quæcumque ſcit homo, ſe accommodatè facere ad ingerendam proximo [noxiam] cogitationem, ipſa quoq; conſcientia eius polluitur, cùm ſciat ſe id facere quod aptum natum eſt nocumentum adferre vel afflictionem. Et hoc eſt conſcientiam erga proximum cuſtodire.

Quomodo ſervanda ſit conſcientia circa res materiatas.

Porrò circa res materiatas quoque cuſtodiēda, eſt conſcientia, ne quis malè re quâpiam utatur, néve permittat rem aliquam reddi inutilem, proijcíve, aut ſi jam aliquid fortè projectum fuerit, id minimè contemnat, quatenus vile ſit, ſed colligat & in proprium locum reponat; ne quis item propriis abutatur indumentis. At enim v.g. quiſpiam qui cùm veſtē ſuam ad unam alterámve hebdomadam geſtare poſſit, ſtatim abeat, & ante tempus illam lavet conteratque, & pro eo quòd per menſes alios quinque & eo amplius, utilis illi eſſe poſſet, crebrò lavando faciat illam veteraſcere, & inutilē reddat: hoc fit etiam contra conſcientiam. Similiter etiā in lecto. Sæpè poteſt fieri ut alicui ſatis ſit unicum cervical, & ſtratum amplum quærat, & qui habet cilicium, quandoque velit illud mutare, & aliud ex mollitie vel acedia, ſive novum ſive pulchrius accipere. Poſſet quis etiam unico centone contentus eſſe, qui tapetem quærit; for-

tasſis.

taſſis etiam altercatur ſi non acceperit. Quod ſi verò etiam cœperit attendere ad fratrem ſuum ac dicere: quare hic habet illud, & ego non habeo? talis non proficit. Jtem ſi quis ad ſolē expandit veſtem vel tegumentum ſuum, ipſumque negligat auferre, atque corrumpi ſinat: hoc etiam contra conſcientiam eſt. Similiter & in cibis, ſi poſſit quis neceſſitati ſuæ ſatisfacere oluſculo modico, vel legumine, aut paucis olivis, & renuat illud facere, ſed quærat alium cibum delicatiorem aut pretioſiorem; hæc omnia contra conſcientiam ſunt. Patres autem dicunt, non debere monachum permittere, ut ipſum conſcientia ſua in re quapiam remordeat. Neceſſe eſt igitur fratres ut aſſiduè vigilemus, & noſmetipſos ab his omnibus immunes conſervemus, ne in periculum incidamus. Siquidem Dominus (ut ſuperius dicebamus) id ipſum nos obteſtatus eſt. Præſtet nobis Deus, ut hæc audiamus & obſervemus, ne ſermones Patrum noſtrorum cedant nobis in judicium.

NOTÆ CORDERI.

Quid ſit conſcientia.

a INſcribitur hæc doctrina περὶ συνειδήσεως, id eſt *De conſcientia*, quo nomine Theologi in ſcholis ferè intelligunt iudicium vel dictamen rationis practicum, quo perſpicuè homo diſcernit quid rectè vel perperam in quaque re fiat, quidve amplectendum ſit vel fugiendum. *Conſcientia*

Inquit

inquit Papias, *est sui ipsius cognitio*: unde eam Hebræi appellant לב *leb* id est *cor*. Quia nimirum cor princeps est in homine sedes, & nobilissimarum operationum officina, in qua concurrunt rationes, disceptationes, testimonia, quæ hominem vel nocentem accusant, vel innocentem excusant: quemadmodum de Gentilibus ipsis Paulus ait: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus*, cùm scilicet malè agunt, *aut etiam defendētibus*, quando agunt benè. Vnde cordis sibi conscij testimonium, vel pro seipso, vel contra seipsum prolatum, conscientia dicitur. In basilica igitur cordis humani Deus tribunal constituit, legesque in ejus tabulis incidit digito suo, rationem creavit judicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, quæ vel accusant, vel defendunt ipsum hominem reum, uti ad citatum Pauli locum, pulchrè notat Cornelius noster. Qua de re disserit hîc quoque egregiè S. Dorotheus, aitque domitis & subactis appetionibus, quæ consilij frena succutiunt, familiare animi lumen vehementer accendi, atque homines incredibili lætitiâ, & consolatione perfundere. Illud autem intimum animi lumen esse conscientiam sive λογισμόν, ratiocinationem quamdam instar scintillæ, quæ illuminet mentem, & discernat rectum à pravo, ingenerata animæ à Deo. Vbi verò domi-

NOTÆ CORDIRI

Rom. 2.15.

NOTÆ CORDERI

dominantur passiones, conscientiæ eam lucem & scintillantis rationis, debilius irradiare, adeo ut vix illam mens videat, ut si quis obscurâ lucernâ lumen ferat. Plura de hoc argumento vide apud S. Chrysostomum hom. 17. in Genesin, & hom. 4. in posteriorem epist. S. Pauli ad Timotheum.

Symbola pura & impura cõscientia.

b Hanc sibi volunt putei quos fodit Iacob, &c.] Alludit ad puteos illos aquæ vivæ, quorum potu pecora Jacob multiplicabantur de quibus mentio fit in Genesi cap. 26. vers. 15. & seqq. Erant isti putei symbola puræ nitidæque conscientiæ quam aqua viva, limpidaque repræsentat, sicut è contrà lacunæ lutosæ ac fæculētæ, turbidam sordidamque conscientiam designant. Non sine mysterio autem significat Philisthrim, qui improbos designant, puteos illos aggere aggesto, id est peccandi consuetudine, opplevisse. Sicut enim consuetudo sensui quasi callum inducit, ut non sentiat morbum & dolorem cui assuevit: sic & animo callum inducit, ut non sentiat conscientiæ remorsum aut dolorem in peccatis quibus assuevit. Itaq; ex consuetudine & impudentia peccandi, oritur in animo ἀναλγησία, id est *indolentia*, vel dedolentia, qua animus ita in malis obdurescit, ut peccata non sentiat, omnemque conscientiæ remorsum amittat, & quasi conscientiâ suffocatâ, non pœniteat, nihil doleat, sed quasi brutum in omne id quod libet, quantumvis turpissimum

mum & abominandum, præceps ruat, in eoque delectetur & glorietur; ut benè notavit S. Hieronymus in Ezechiæ cap. 1. *Conscientiam*, inquit, *cernimus præcipitari apud quosdam & suum locum amittere: juxta id quod scriptum est: Impius cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.*

INSTITVTIO IV.

a DE TIMORE DIVINO.

Sanctus Joannes in Catholicis ait: b *Perfecta charitas foràs mittit timorem.* Quid igitur hic sanctus per hoc vult nobis significare? Qualem tamdem dicit nobis charitatem, & qualem timorem? Propheta quidem in Psalmo ait: *Timete Dominum omnes Sancti eius.* Quin & alia istiusmodi infinita invenimus in sacris litteris. Si igitur & Sancti qui Dominum ita diligunt timent eum, quomodo dicit: *Perfecta charitas foràs mittit timorem?*

a b 1. Ioan. 4. 18

Psal. 33. 10.

Vult nobis ostendere vir sanctus, duo esse genera timoris: unum scilicet introductorium & alterum perfectum. Ac si quis dicat, unũ quidem esse incipientium in Dei cultu; alterum verò Sanctorum perfectorum, qui ad mensuram charitatis pertigerunt. verbi gratia: Facit quis Dei voluntatem propter timorem suppliciorum. Hic, ut diximus, adhuc tyrunculus est; hic necdum propter ipsum bonum operatur, sed propter timorem plagarum.

Duplex timor Dei scilicet initialis & perfectus.

Alius

Alius verò Dei voluntatem facit Deum ipsum diligendo, ipsique Deo specialiter placere studendo. Hic novit quid sit ipsum bonum, hic novit quid sit esse cum Deo. Ecce hic veram habet charitatem, quam vir sanctus perfectam vocat, & hæc charitas ad perfectum timorem eum adducit. Talis enim timet, ac voluntatem Dei observat, sed non amplius plagarum, non amplius pœnæ metu; sed ob ipsam quam gustavit divinæ dulcedinem conversationis. Timet enim ne illâ excidat, timet ne illâ privetur. Hic igitur perfectus timor, qui ex ista charitate oritur foràs mittit timorem introductorium, atque ideo dicit perfectam charitatem foràs mittere timorem.

c Tres gradus timoris, ex S. Gregorio.

Ceterùm *c* fieri non potest ut perfectus timor adveniat nisi per introductorium. Tres enim sunt dispositiones, (ut dicit S. Gregorius) per quas possumus placere Deo. Vel enim supplicium metuentes illi placemus; & sumus in statu servi: vel ex mercede lucra sectantes propter nostram utilitatem mandata complemus, atque in hoc similes sumus mercenariis: vel ipsiusmet boni gratiâ, & sumus in statu filij. Filius enim cùm jam ad prudentiam pervenerit, facit voluntatem patris sui, non quòd timeat ne percutiatur, neque ut ab eo mercedem accipiat, sed quia ipsum diligit, amorem honoremque paternũ unicè observãs, & certò sibi persuasũ habet omnia quæ sunt Patris, esse sua.

Qui

Qui talis est, audire meretur, Iam non es servus, sed filius, & heres Dei per Christum. Talis enim nõ amplius Deum timet, (sicut diximus, secundùm timorem scilicet illum introductorium, sed diligit prout dixit S. Antonius: *Ego non amplius Deum timeo.* Et Dominus Abrahamo, postquam obtulisset filium suum, dicens illud: *Nunc cognovi quòd timeas tu Deum.* significat perfectum illum timorem qui oritur ex charitate. Quomodo enim dicere potuisset illud: *Nunc cognovi?* Eleëmosynas fecerat, tanta peregerat, Deo obediverat, & dimiserat omnia sua, in terram alienam peregrè profectus fuerat & ad gentem idololatram, ubi ne vestigium quidem pietatis ac religionis erat. Ad hæc sustinuerat etiam horrendam istam tentationem de immolando filio, & posteà dixit illi: *Nunc cognovi, quòd timeas Deum.* Manifestum est quòd perfectum illum timorem dixerit, qui est Sanctorum: nequaquam enim metu pœnæ, vel mercedis gratiâ voluntatem Dei faciunt [viri sancti] sed cùm diligant, timent quidquam facere quod sit contra dilecti voluntatem. Et ideo dicit charitatem foràs mittere timorem. Non enim amplius ex metu agunt, sed ex amore timent. Hic est perfectus timor.

Gal. 4. 7.

Gen. 22. 12.

Sancti nõ ex timore agũt sed ex amore timent.

Sed fieri non potest (sicut anteà dicebamus) ut perfectus [ille timor] accedat, nisi quis primùm habuerit timorem introductorium. Ait enim: *Initium sapientiæ*

Timor initialis necessariò præcedit perfectum timorem.

Psal.110.10. *pientiæ, timor Domini.* Et iterum dicit:
Eccli.1.16. *Principium & finis est timor Dei.* Principium dicit introductorium timorem, post quē est ille perfectus, qui est Sanctorum. Itaque introductorius ille timor est status nostri. Hic velut illustratio quædam custodit animam ab omni pravitate. Ait
Prov.15.28. enim: *Timore Domini declinat omnis à malo.* Si igitur declinat omnis à malo ob timorem pœnæ, tamquam servus qui timet Dominum, sensim etiam accedit ad faciendum bonum, & paulatim incipit quoque tamquam mercenarius sperare boni operis remunerationem. Quando igitur adinstar servi propter timorem (uti diximus) malum fugere perseveraverit; & rursus instar mercenarij bonum fecerit propter spem; ubi longo tempore cum Deo perstiterit in bono, & secundùm proportionem quamdam Deo adhæserit; degustat exinde ac sensum quemdam percipit veri illius boni, & non vult amplius ab eo separari. Quis enim (ut ait
Rom.8.39. Apostolus) adhuc posset ipsum separare à charitate Christi? tunc ad filij mensuram attingit, & diligit propter ipsum bonum, & timet quia diligit, atque hic est magnus ac perfectus timor.

Sensim per servilem, & mercenarium venitur ad timorem filialem.

Quamobrem Propheta præstantiam
Psal.33.12. ejus nos docens, de timore hoc ait: *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos.* Adhibete mentem ad singula Prophetæ verba, ut unaquæque dictio illius vim suam habeat. Primum ait: *Venite ad me,*

advocans nos ad virtutem. Et adjungit *filij*. Filios vocant Sancti viri eos, qui sermone ipsorum à malitia ad virtutem transformantur, quemadmodum ait Apostolus: *Filioli, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*. Postmodùm ubi nos advocavit, & ad istiusmodi transmutationem exhortatus est, *Timorem*, inquit, *Domini docebo vos*. Videte Sancti hujus fiduciam: nos cùm boni quippiam asserere volumus, plerumque dicimus: vultisne ut parumper disputemus, & de timore Dei, vel alia virtute differamus? Hic sanctus verò non sic, sed cum fiducia dicebat: *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos. Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Gal. 4. 19. *Quomodo perfectus timor Dei comparetur.* Psal. 33. 12.

Deindè tamquam aliquo respondente & dicente: En ego volo, doce me quo pacto vivam, & dies bonos videam; docet, & ait: *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum*. Ecce primùm operationē mali abscindit per timorem Dei. *Prohibe linguā tuam à malo*, id est, nulla in re conscientiam proximi lædas, non obloquaris, non irrites. *Labia tua non loquantur dolum*, hoc est, noli decipere proximum.

Deindè subdit: *Declina à malo*. Primùm dixit particularia quædam peccata [scilicet] oblocutionem, dolositatem: atque ita complexè de universa malitia subjunxit: *Declina à malo*, ac si dicat: fuge absolutè omne malum: declina ab omni re *Malum declinandum & bonum faciendum.*

vergente ad peccatum. Neq; hoc tantùm dixit, & tacuit, sed & adjecit: *Et fac bonum.* Interdum enim accidit, ut malum quis non agat; nec tamen bonum faciat. Rursus contingit ut quis non faciat iniuriam, neque tamen det eleëmosynam. Contingit item ut quis non oderit quempiam, nec tamē diligat. Rectè igitur dixit Propheta: *Declina à malo, & fac bonum.* Ecce declarat nobis connexionem trium statuum seu conditionum de quibus anteà diximus, quomodo [scilicet] per timorem manuduxit ad declinandum à malo, & sic hortatur ut ad bonum conscendamus. Cùm enim quis dignatus fuerit à malo abstinere, & ab ipso fugere, naturaliter deinceps bonum operatur, ad hoc inductus à Sanctis.

Pax non solùm quærēda, sed etiā persequenda.

Hæc ubi præclarè dixit, consequenter etiam infert: *Quære pacem, & persequere eam.* Et non dixit quære tantùm sed cursim insequere, ut eam comprehendas. Adhibete omninò mentem vestram ad hoc dictum, & accuratam sancti hujus diligentiam, expendite. Cùm dignus quis habetur, ut deflectat à malo, & quod bonum est deinceps, favente Deo studeat exercere, actutum illi bella ab [humani generis] hoste inferuntur, certat, laborat, conteritur, formidans non solùm ne ad malum iterum cōvertatur, (sicut de servo diximus) verùm etiam sperans, (sicut prædiximus) mercedem boni tamquam mercenarius. In eo igitur quòd oppugnetur,

&

& repugnet, & luctetur cum hoste, bonum facit, sed cum multa afflictione, cum multa contritione. At verò cùm illi à Deo auxilium adfuerit, & deinceps in bono habitum aliquem sibi comparare cœperit, tum videt quietem, & in progressu pacem degustat, tum deniq; sentit quid sit afflictio belli, & quid sit gaudium ac lætitia pacis. Tunc demùm quærit illam, tunc omne studium adhibet, & accurrit persequens, ut eam comprehendat, ut perfectè ipsam possideat, ut illam in semetipso inhabitare faciat.

Ceterùm quid beatius illâ animâ quæ hâc mensurâ digna fuerit? talis, ut (sæpè diximus) est in mensura filij. *Beati*, enim reverà, *pacifici*; *quoniam ipsi filij Dei vocabuntur*. Quis efficere possit, ut anima illa ob ullam aliam causam adhuc bonum operetur, quàm ob ipsiusmet boni fruitionem? Quis novit gaudium illud, nisi qui eius habet experimentum? tunc talis perfectum Dei timorem cognoscit, prout sæpè diximus.

Pacis bonum quantum sit.

Matth. 5. 9.

Ecce audivimus quis sit perfectus Sanctorum timor; quis item sit timor ille introductorius qui est conditionis nostræ, & unde quis fugiat, & quò perveniat per timorem Dei. Ceterùm jam volumus discere quomodo timor ille Dei adveniat, & desideramus dicere quæ sint ea quæ nos ab hoc timore distermінent.

Patres dixerunt hominem possidere

Timor Domini oritur ex mortis & gehennæ recordatione.

Dei timorem ex eo quòd mortis ac suppliciorum frequẽtem habeat memoriam, & semetipsum vesperi discutiat quo pacto diem transegerit, & manè rursus examinet quomodo illâ nocte se habuerit, ac minimè de se presumat, atque viro Deum timenti adhæreat.

Narratur quidam frater interrogasse seniorem: Quid faciam pater, ut Deum timeam? Cui senex respondit: vade, adhære viro Deum timenti, & ex eo, quòd ipse Deum timeat, docebit te etiã timere Deum. Cùm autem his contraria facimus, timorem Dei à nobis abigimus; dum [inquam] mortis & suppliciorum memoriam non tenemus, dum nobismetipsis non attendimus, neque examinamus quo pacto nos gesserimus, sed indifferenter vivimus, & cum indifferentibus conversamur, dum nimis liberi sumus; quod pessimum est omnium, nec non perfecta perditio. Quid enim adeò timorem Dei ab anima profligat, ut nimia libertas?

Nimia libertas est res periculosissima.

Hinc interrogatus Abbas Agathon de nimia libertate dixit, illam esse similem magno æstui, qui quando exortus fuerit, omnia fugiunt à facie eius, & fructus arborum corrumpit. Viden' ingentem vim passionis? viden' furorem ejus? Idem iterum interrogatus: Certè, inquit, usque adeo molesta est nimia libertas, ut nulla passio molestior sit istâ libertate, siquidem genitrix est omnium passionum, quoniam ipsa timorem Dei ex anima eliminat,

minat. Si enim *timore Dei declinat omnis à malo*; vbi Dei timor non eſt, ibi prorſus omnis paſſio exiſtit. Deus liberet animas noſtras à pernicioſa paſſione nimiæ libertatis. Prov. 15. 28.

Eſt autem multiplex libertas. Liberius quis agit & per ſermonem, & per tactum, & per aſpectum; procedit quis ex libertate, & ad vaniloquium, & ad dicenda ſæcularia, & ad ridicula facienda, & ad movendos riſus immodeſtos. Nimia etiam libertas eſt, tangere aliquem ſine neceſſitate, extendere manum in quempiam ridentem, trudere aliquem, vel rapere quidpiam ab eo, intendere alicui impudenter. Hæc omnia ex abſentia timoris Dei in anima [oriuntur.] *Libertas multiplex eſt.*

Ex his porrò quiſpiam ad perfectum contemptum ſenſim delabitur. Propterea quando tradebat Deus præcepta legis, Reverentes, inquit, facite filios Iſraël. Nam abſque reverentia, neque Deum quiſquam colit, neque qualecumque umquam præceptum attendit; quapropter nil gravius iſtâ libertate; quoniam genitrix eſt omnium paſſionum; quoniam eijcit reverentiam, quoniam eliminat timorem Dei; quoniam parit contemptum, ex eo quòd nimia inter nos libertate utimur, & erga nos mutuo evadimus impudentes, & malè invicem loquimini, & percutitis invicem. Et ſi quis veſtrum viderit fortè quippiam inutile, actutum abit, cum illo nugatur, atque in alterius *Nimia libertas eſt genitrix omnium paſſionum.*

 cor

cor fratris sui ingerit: & non tantùm ipse læditur, sed & fratri suo nocet, perniciosum cordi ejus venenum instillans. Ac sæpè fit ut mentem habeat orationi, aut alteri rei honestæ intentam, cùm accedit ille, ac provocat eum ad nugas, neque solùm ejus impedit utilitatem, verùm etiam ingerit ei tentationem. Atqui nihil hoc gravius, nihil perniciosius, quàm si quis non tantùm sibi ipsi: sed etiam proximo noceat. Ideo bonum est fratres, ut reverentiam habeamus, ut nostri ipsorum & mutuum aliorum nocumentum timeamus, ut invicem honoremus, ut à mutuis nutibus, & aspectibus curiosis abstinere studeamus. Nam & hoc, (ut quidam senex dixit) est species libertatis.

Semper agendum reverenter.

Correctio fraterna quomodo adhibenda.

Quod si contigerit quempiam videre fratrem suum delinquentem, ne despuat ipsum, neque taceat, neque ipsum perire permittat; neque rursus ipsum calumnietur, neque illi detrahat: sed cum condolentia, timoreque Dei, judicet ei qui corrigere ipsum possit: aut ipsemet loquatur illi cum charitate & humilitate dicens: Ignosce mi frater, quia ut clarè video, fortassis non rectè rem hanc agimus: quod si non audierit, dic alteri, cui vides ipsum majorem fidem adhibere: vel dic ipsius Præposito vel Abbati pro qualitate lapsus, & securus esto. Ceterùm (ut monuimus) id dicat intentione fratrem suum corrigendi, & non per garrulitatem, non per detractionem, non per con-

contemptum illius; neque ut ipsum traducat, aut condemnet; neque foris simulet correctionem, intus verò foveat aliquid eorum quæ diximus. Nam reverà si quis Abbati suo quidqnam dixerit, & non propter proximi correctionem, aut propter privatum damnum, peccatum est, quoniam est detractio.

Ceterùm scrutetur cor suum, ac si aliquem motum passionis habeat, omninò non dicat: si verò adhibitâ diligentiâ conspexerit se propter commiserationem & utilitatem id dicere velle; intus tamen eum turbet quædam scrupulosa cogitatio: illam ipsam cum humilitate, & simul proximi vitium Abbati annuntiet, dicens: conscientia quidem mea mihi testatur, hoc velle me dicere ad correctionem; interiùs tamen sentio remordentem fortè quampiam cogitationem, sive quòd habuerim aliquandò aliquid adversus fratrem istum, nescio; sive impostura sit quę meam denuntiationem & fraternam correctionem impedire velit, nescio. Tunc illi Abbas dicet, utrum dicendum sit nec ne.

Vitium alterius ne quidē Abbati eius detegendum nisi ob eius utilitatem.

Accidit autem aliquando ut quis dicat aliquid, neque propter fratris sui utilitatem, neque propter privatum damnum, neque propter vindictam, sed ità simpliciter narret quasi ex vaniloquio. At quis fructus huius garrulitatis? Sæpè enim rescìscit postmodùm frater sibi detractum esse, & perturbatur, indeque oritur affli-

ctio, & aliud damni augmentum. Quando autem quis defert aliquid ob ipsam utilitatem, eamque solam (ut diximus) non permittit Deus nasci turbationem, non finit afflictionem & damnum sequi.

Lingua cumprimis cohibenda.

Studere autem, ut diximus, etiam linguam vestram servare, ne quis malè proximo loquatur, nève quempiam percutiat, sive verbo, sive opere, sive gestu, aut alio quocumque modo. neque sitis pruriginosi, ne fortè quando quis vestrum à fratre suo verbum aliquod audiet, illicò pungatur, aut etiam ipsi malè respondeat, aut contra ipsum maneat exacerbatus. Non sunt hæc eorum qui in agone contendunt.

Possidere timorem Dei, sed cum reverentia, ut cùm vobis invicem occurritis, unusquisque (quemadmodum dicebamus) fratri suo caput suum inclinet, unusquisque coram Deo, & coram fratre suo se humiliet, & à seipso propriam abscindat voluntatem. Factum reverà bonum, si quis hoc fecerit, & fratri suo cesserit, eumque honore prævenerit. Qui cedit alteri, majorem illo acipit utilitatē.

Fratres honore præveniendi.

Ego quidem nescio an aliquid umquam boni gesserim, si tamen ex hoc protectus fui, scio me protectum fuisse, quia numquam fratri meipsum prætuli, sed semper fratrem meum mihi præposui.

S. Dorothei humilitas.

Quondam cùm adhuc essem apud Abbatem Seridum, senis illius Abbatis Ioannis, contemporanei Abbatis Barsanuphij, min i-

minister ægrotavit, mihique præcepit Abbas ut seni ministrarem. Ego autem cellæ ipsius ostium ita deforis amplexabar, quemadmodum quis venerandam crucem adorat, quantò magis ipsius ministerium? Quis enim non optaret dignus haberi tali sancto?

Ceterùm habebat etiam sermonem admirabilem & semper post expletū quodlibet ministerium meum *d* humili gestu reverentiam illi exhibebam, ut acciperem ab eo benedictionem, & discederem; mihique semper loquebatur. Habebat autem senex quatuor verba, & sicut dixi, vesperi cùm essem discessurus, semper unum ex quatuor mihi referebat, dicebatque hoc modo. *Dicit semel.* (sic enim senex assueverat ad quodlibet verbū dicere, *Dicit semel.*) Frater, Deus custodiat charitatem. Dixerunt Patres: custodire conscientiam proximi parit humilitatem. *d* *Abbatis Ioannis quatuor monita.*

Rursus alio vespere dicebat mihi: dicit semel: Frater, Deus custodiat charitatem: dixerunt Patres: Numquam voluntatem meam fratris mei anteposui.

Aliàs iterùm dicebat: dicit semel: Frater Deus custodiat charitatem: dixerunt Patres: Fuge res humanas; & salvaberis.

Iterum dicebat: dicit semel: Frater Deus custodiat charitatem: Dixerunt Patres: *Alter alterius onera portate: & sic adimplebitis legem Christi.* Semper solebat senex mihi sub vesperam discessuro dare unam admonitionem ex his quatuor; Eo Gal. 6. 2.

 mo-

modo quo quis alicui viaticum præberet, & sic illa servavi in custodiam totius vitæ meæ.

Attamen licet talem haberem fiduciam in Sanctum istum, & sic erga ejus obsequium affectus essem, simul ac percipiebam fratrum quempiam affligi eò quòd quæreret ipsi deservire; actutum adivi Abbatem, & ipsum rogavi, dicens: Si consentis Domine istud munus huic fratri magis congruit, quàm mihi. Sed neque Abbas, neque senex ipse consenserunt. Verumtamen ego interim quantum in me fuit, id satagebam ut frater mihi præferretur; & cùm ibi novem annos transegerim, non scio me cuiquam verbum asperum fuisse locutum, tametsi officium haberem, ne quis dicat me illo caruisse.

S. Dorothei patientia.

Mihi credite, quoniam scio quemdam fratrem à valetudinario usque ad Ecclesiam me conviтiis insectatũ fuisse, cui ego ne verbum quidem unum reponebam. Quin imo cùm & Abbas id nescio quo referente rescisset, illumque vellet punire, ego perrexi pedes ejus amplecti, dicens. Ne per Dominum [id feceris] Ego erravi, nullam culpam habet frater.

Alius item sive ex tentatione, sive ex simplicitate, Deus novit unde, longo tempore lotium suum noctu reddidit ad caput meum, ut etiam stratum meum madefieret.

Similiter & alij quidam fratrum inter-

diu

diu veniebant, & ſtoreas ſuas ad cellam meam excutiebant; & videbam tantam multitudinem cimicum cellam meam ingredientium, ut illos interficiendo ſuperare non poſſem, erant enim ob calores infiniti. Ceterùm cùm cubitum conceſſiſſem, omnes illi ſupra me congregabantur, ac ſomnus quidem ex nimio labore ingruebat, ſed illicò excitatus à ſomno, reperiebam totum corpus meum depaſtum, & numquam alicui ipſorum dicebam: Ne ſic feceris, vel cur hoc facis? Neque ſcio meipſum, ut dixi, aliquando verbum mordax, aut cuipiam moleſtum fuiſſe locutum.

Diſcite etiam vos alter alterius onera portare, diſcite alter alterum revereri, & ſi quis veſtrum ab aliquo verbum ſibi diſplicens audiverit, aut ſi quis aliquando præter voluntatem ſuam quidpiam patiatur, non ſtatim animum deſpondeat, non ſtatim pungatur, neque certaminis ac lucri tempore deprehendatur habere cor reſolutum, ignavum, remiſſum, quod nullum qualemcumque ſuſtinere valeat inſultum; (quemadmodum peponi uſu venit, cui ſi parvulus aliquis lapillus nimis appropinquaverit, ſtatim vulnus infligit, & putreſcit) quin potius [ſatagite] ut habeatis cor firmum, ut habeatis longanimitatem, ut mutua charitas veſtra caſus omnes vincat.

Manſuetudo & longanimitas cumprimis obſervanda.

Et ſi quis habeat officium, aut ſi quiſpiam ex vobis inveniatur cui incumbat

cura

cura sive hortulani, sive cellarij, sive coci, sive absolutè cuiuscumque alterius aliquod ministerium vobiscum obeuntis; tam ipse qui rem aliquam quærit, quàm ipse administrator qui illam suppeditat; ante omnia studeat custodire propriam animi tranquillitatem, nec umquam sive ob perturbationem, sive ob aversionem, aut propensionem, aut qualemcumque propriam voluntatem, aut dignitatem, semetipsum à mandato Dei transversum agi patiatur. Sed qualiscumque se res obtulerit sive parva, sive magna, ipsam contemnát & negligat. Bonus est enim istiusmodi contemptus. Neque rursus proprio ipsam statui præponat, ita ut etiam animæ suæ detrimentum patiatur, quòd rem istam obtinuerit.

Quocumque demùm in negotio, quantumvis urgenti admodum & serio deprehendamini, nolo vos umquam aliquid agere cum jurgio, aut cum perturbatione. Vt autem huius rei sitis certiores: Quodcumque tandem opus facitis, sive magnum, ut diximus, sive parvum, e octava pars est istius rei quæ quæritur; custodire autem propriam animi tranquillitatem, etiamsi ex hoc contigerit officio privari, dimidium est [rei quæsitæ] seu quatuor ejus partes ex octo. videtísne quantum intersit? Cùm igitur rem ullam agitis, si velitis illam perfectam integramque præstare, date operam ut & rem ipsam faciatis, quæ est tamquam octava pars

e Mansuetudo superiori & officialibus valdè necessaria.

pars [rei quæsitæ] & propriam animi tranquillitatem servetis illæsam, quod est dimidium [rei quæsitæ] sive quatuor eius partes ex octo.

Si verò ad officij munus explendum incubuerit necessitas distractionis, & violationis præcepti, damnumque accipiendi, aut inferendi; non est æquum, ut quis dimidium, sive quatuor partes ex octo perdat, ut conservet octavam. Quare si noveritis quempiam id facientem, talis utiq; non secundùm scientiam obit munus suum. Aut enim propter vanam gloriam, aut ut hominibus placeat contendere, & semetipsum & proximum torquere perseverat, ut nimirum postmodùm audiat, quòd nemo potuerit illum vincere. Papè, magna isthæc strenuitas! Non est hæc victoria fratres, sed damnum est, & perditio.

Ecce ego dico vobis, si vestrum quempiam ad quodcumque munus destinavero, & ille viderit aliquam turbationem aut aliud quodvis damnum emergere; amputet illud actutum; nec umquàm vosmetipsos, neque invicem lædatis. Quin imo abeat, & officium non fiat; dummodo non turbetis invicem; quandoquidem, ut dixi, aliàs dimidium, seu quatuor partes ex octo perduntur; quæ utique est manifesta stultitia.

Hæc autem dico vobis, non ut statim pusillo animo sitis, & negotia abrumpatis, aut ut indiscreti sitis, & promiscuè

res

res quascumque proijciatis, & conscientiam vestram conculcetis, nil curare volentes. neque rursum, ut inobedientes sitis; & unusquisque vestrum dicat: non possum hoc facere, istâ re lædor, non convenit mihi. Quoniam hâc ratione numquam qualecumque officium facietis, neque præceptum Dei umquam implere potestis: sed ut omnes vires vestras exeratis ad quodlibet munus vestrum cum charitate exequendum, cum humilitate invicem vos submittentes, honorantes, cohortantes. Nihil humilitate potentius. Si igitur quis viderit proximum vel seipsum ad horam afflictum, lugete, vobis invicem cedite, neque expectetis donec aliquid damni subsequatur. Satius enim est (id quod millies dixi ut scilicet succurram necessitati, & non pervicaciæ) non fieri officium prout vultis, quàm propter officium, quantumvis illud rationi consonum sit, vos perturbari aut invicem affligere & dimidium [id est] quatuor ex octo perdere. Magna est enim damni differentia.

Humilitate nil potentius.

Accidit item non raro, ut & ipsam octavam partem quis perdat, & nihil omninò efficiat. Talia nimirum sunt ea quæ per contentionem fiunt. In ipso principio omnia opera quæ facimus, ad aliquam utilitatem ex iis capiendam, exequimur: atqui utilitas nisi invicem humiliemur: sed è diverso etiam turbamus, & affligimus invicem? Atqui nostis quid dicat

dicat liber seniorum. Nempè ex propinquo esse vitam & mortem. Hæc fratres apud vosmetipsos meditemini, ut sanctorum senum sermones exerceatis, ut cum charitate ac timore Dei vestram ipsorum & mutuam utilitatem quærere studeatis, sic ex omnibus eventibus lucrum capere, & ope Dei proficere poteritis. Ipsemet benignissimus Deus noster timorē suum nobis largiatur. Ait enim: *Deum time, & mandata ejus custodi. Hoc est enim omnis homo.* Eccl. 12. 13.

Notæ Corderi.

HÆc doctrina est *περὶ τοῦ θείου φόβου De divino timore*, quem primùm dividit, in *εἰσαγωγικὸν* id est *introductorium*, & *τέλειον* id est *perfectum*: ac deinde distinguit tres status sive gradus eorum qui Deum timent: Quorum primus & infimus est status incipientium, qui timore servili trahuntur ad bonum, & à malo retrahuntur, juxta illud: *a Timoris Dei gradus quatuor.*

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Secundus proficientium, qui spe, & desiderio remunerationis ducuntur. Tertius, profectorum, qui solo amore, & charitate moventur, secundùm illud:

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Atque hi tres status aliis vocibus dicuntur, status servorum, mercenariorum, & filiorum.

b Perfecta charitas foràs mittit timorem.]

Nem-

NOTÆ CORDERI

Charitas servilem timorẽ abigit.

Nempè servilem, de quo D. Augustinus tract. 9. in epist. S. Joannis. *Timor*, inquit, *quasi locum præparat charitati. Cùm autem cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui præparavit locum: quantum enim illa crescit, tantum ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur forâs. Si autem nullus timor, non est quâ intret charitas. Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem: non autem ibi remanet timor; quia ideo intravit, ut introduceret charitatem. Iam factâ securitate in animo, quale gaudium nobis est, vel in hoc, vel in futuro sæculo?* Hæc D. Augustinus. Porrò D. Thomas in commentario ad dictum Ioannis locum distinguit quadruplicem timorem Domini: *Primus*, inquit, *est timor servilis, qui est solius gehennæ; secundus initialis, qui est timor gehennæ, & offensæ divinæ. Tertius filialis, qui est timor solius offensæ divinæ. Quartus est reverentialis, qui est solius reverentiæ ergà Majestatem. Primus non est in charitate, sed præparat ei locum, & eam tandem introducit, sicut seta & acus filum, ut dicit D. Augustinus. Secundus non est in perfectâ charitate, de qua loquitur hic Apostolus. Tertius major est in magis perfectis, quia magis perfecta charitate, via, sed non patriæ de quo Psal. 18 Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Vbi nota in Græco legi ἁγνὸς id est, *mundus*, aut *castus*, non ἅγιος. vnde castum timorẽ passim vocat D. Augusti-

gustinus; eumque familiari exemplo & huic loco respondente duarum mulierum ita distinguit à servili: *Non potes*, inquit, *melius explanare quid intersit inter duos timores, quàm si ponas duas mulieres maritatas: quarum unam constituas volētem facere adulterium, sed timet ne damnetur à marito; Timet maritum; sed quia amat nequitiam, ideò timet maritum: huic non grata est, sed onerosa mariti præsentia: & si fortè vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt qui timent diem judicij. Fac alteram amare virum, & debere illi castos amplexus nullâ se adulterinâ immunditiâ maculare velle. Ista optat præsentiam viri. Et quomodo discernuntur duo isti timores? Illa timet; & ista timet: Iam ergo interrogentur quare timeant? Illa dicet: timeo virum ne veniat: ista dicet: timeo virum ne discedat: Illa dicet: timeo virum ne damnet, ista dicet: timeo virum ne deserat. Pone hæc in animo, & invenies timorem, quem foràs mittit charitas; & alium timorem castum, permanentem in sæculum sæculi. Illum timorem perfecta charitas foràs mittit, quia ille timor tormentum habet: torquetur conscientiâ peccatorum, nondum facta est iustificatio. stimulat ille timor; sed intrat charitas, quæ sanat, quod vulnerat timor: timor autem castus, facit securitatem in animo.* Hæc divus Augustinus apud quem vide alia exempla serm. 18. de verbis Apostoli, Græci verò Patres divinarum litterarum secuti vestigia, hunc timorem vocant εὐλάβειαν, id est, *metum religiosum*, Dei reverentiam; unde εὐλαβὴς qui

NOTÆ CORDERI.

NOTÆ CORDERII. *Timor reverentialis.* Eccli. 25. Luc. 2. 25.

qui dicuntur in sermone sacro *timorati*, ut in Isaiæ cap. 50. notat S. Hieronymus, quemadmodum in Ecclesiastico Dominus *viam timoratorum custodit*; Et in Euangelio magnifica ea laus & prædicatio Simeonis; *Iustus & timoratus.* Ista εὐλάβεια seu *timida reverentia*, nota est probi animi atque verecundi, qui Deum ut amabilissimum Dominum, ut gloriæ regem, ut magnificentissimè supra naturam omnem evectum reveretur & honorat, cuius excellentiæ vim & magnitudinem capere nequit. Ex eo enim, quòd præstantissimam & incomparabilem illam majestatem revereamur, oritur in animo timor sanctus admiratione, & demissione plenissimus. Hinc Theologi Hebræorum reverentiam vocare solent *Iirah* hoc est *timorem*; Chaldæi *emah*, terrorem; & in divinis oraculis sæpè Dei cultus religiosus quem vocamus adorationem, timor dicitur, ob reverentiam quæ Numini sancto colendo, & venerando exhibetur. Sic ubi in Deuteronomio nos habemus:

Deut. 6. 13. *Deum tuum adorabis*; in Hebræo est, *timebis*, hoc est reverebis. Hanc reverentiam in Servatore mundi IESV D. Paulus brevi quidem, sed nobili elogio usque in cælum extulit; quem ait in diebus carnis suæ preces & supplicationes offerentem, exauditum fuisse ἀπὸ τῆς εὐλαβείας *pro sua re-*

Hebr. 5. 7. *verentia.* Vbi S. Chrysostomus duplicem in Deo reverentiam ponit: alteram quandam dignitatem, & divinarum actionum

præ-

præſtantiam, ob quam fuit reverendus, cuique Genitor recuſare nihil potuit; alteram, quâ ipſe Deum parentem reverebatur, illo nimirùm caſto & pio metu, qui in Angelis & cælitibus quoque beatis reperitur. Nam cùm timor filialis duos habeat actus, videlicet revereri Deum, & ſeparationem ab eo timere, quantum ad primum, in æternum duraturus eſt, inquit, S. Thomas prima 2. quæſtione 67. art. 4. ad 2. NOTÆ CORDERI

c Fieri non poteſt, ut perfectus timor adveniat, niſi per introductorium.] Quod intelligendum eſt de via ordinaria in peccatoris juſtificatione extra Sacramenta, ut habetur cap. 6. Concilij Tridentini. Nam contingit interdum aliter, cùm quis per Sacramenta juſtificatur, & in ſubitaneis & miraculoſis juſtificationibus. Vide S. Thomam prima ſecundæ quæſt. 10. artic. 7. & 10.

d Humili geſtu reverentiam illi exhibebam, in Græco eſt *ἔβαλον αὐτῷ μετάνοιαν*, quo loquendi modo frequenter utitur Dorotheus, & ſignificat ſui ipſius ad aliũ honorandum abjectionem, quam humili geſtu quis profitetur, corpus ſuum deprimendo, vel in genia procumbendo. Sic etiam is qui ſcripſit vitam S. Ioannis Eleëmoſynarij pro eodem uſurpat *mittere metanoeam*, & *mittere genuflexiones*. Modum autem huius venerationis hâc eâdem doctrinâ paulò antè attigit & commendat in hunc modum. *μετ' εὐλαβείας*

ἀπαι-

NOTÆ CORDERI

ἀπαντᾶτε ἀλλήλοις, ἕκαστος κλίνων τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἔμπροσθεν τοῦ ἀδελφοῦ, *cum reverentiâ vobis invicem occurrite, & quisque caput coram fratre suo inclinet*, &c. Secundò βάλλειν μετάνοιαν, est abiicere se fatendi sceleris seu delicti causâ, veniamque poscendi. Si quis enim è monachis quidquam deliquisset, prosternebat se ad pedes Abbatis, & è solemni formula aiebat συγχώρησόν μοι *condona mihi*. Cujus rei exemplum est doctrinâ nonâ ad finem de pigro & inerte, qui officio suo defuit. Λέγει δέκα ῥήματα ψεύδη, ἵνα μὴ βάλῃ μίαν μετάνοιαν καὶ ταπεινωθῇ. *mentitur decies, ne vel semel fateatur culpam & humilietur*. Ioannes Cassianus lib. 2. de Institutione Monachorum cap. 16. ad Græcam phrasim propius accedit, aitque *submittere in terram pœnitentiam*. Id verò est, ut verbis utar Ammiani Marcellini, *in pacem venialem prosterni*.

Charitas omnibus præferenda.

e Octava pars est istius rei quæ quæritur &c.] Locus hic admodum intricatus est, sed cognitione dignissimus, propter utilitatem spiritualem circa cujusque officij observationem. Docet autem tanti faciendam esse fraternam charitatem, & propriam animi tranquillitatem, ut præ illa sint reliqua parvi facienda. Rem explicat similitudine unius rei constantis octo partibus, cujus dimidium seu quatuor partes ex octo tribuit observationi regularum aut officij; alterum verò dimidium tribuit conservationi fraternæ charitatis,

aut

aut propriæ tranquillitatis. Ipſum denique opus quod exercetur comparat uni ex octo partibus, cujus præſtet jacturam facere, quàm dimidij totius, ſcilicet pacis ac fraternæ charitatis. Ipſum porrò totum comparat obſervationi regularum conſervatâ pace ac fraternâ charitate.

INSTITVTIO V.

DE NON SEQVENDO PROPRIO IVDICIO

IN Proverbiis ait [Sapiens] *Quibus non eſt gubernatio, cadunt tamquam folia, ſalus autem eſt in multa conſilio.* Conſiderate fratres vim hujus ſententiæ; videte quid doceat nos Scriptura ſacra. Cavere nos admonet ne noſmetipſos informemus, ne noſmetipſos prudentes exiſtimemus, ne credamus nos poſſe noſmetipſos gubernare. Opus habemus auxilio, opus iis qui nos poſt Deum gubernent. Prov. 11. 14.

In via ſpirituali opus eſt bono duce.

Nihil miſerabilius, nihil deceptu facilius iis, qui nullum habent ducem in via Dei. Quid enim ait? *Quibus non eſt gubernatio, cadunt tamquam folia.* Folium à principio ſemper eſt viride, floridum, delectabile, poſtmodùm paulatim areſcit & cadit, ac deinde contemnitur & conculcatur. Pari modo ſe habet homo, qui à ne-

nemine gubernatur. A principio quidem ſemper habet fervorem ad jejunium, ad vigilias, ad quietem, ad obedientiam, ad alia quædam bona: Paulò poſt fervore illo ſenſim extincto, ſi nullum habeat ſui gubernatorem qui fervorem eius foveat, & accendat, ſenſim ſine ſenſu areſcit, & cadit, atque tandem hoſtibus mancipatur, qui & de ipſo faciunt quidquid volunt.

Salus in multo cōſilio.

De his verò, qui ſua enunciant, & cum conſilio cuncta gerunt, ſubdit: *Salus eſt in multo conſilio.* Non eò ait: *multo conſilio*, quaſi ut cum unoquoque conſultet, ſed nimirùm cum eo cui certam debet adhibere fidem, cui non aliqua quidem taceat, aliqua verò dicat, ſed omnia denuntiet, & in omnibus conſilium petat. Tali enim reverà ſalus eſt in multo conſilio. Niſi enim homo omnia ſua exponat, præſertim ſi quis repertus fuerit pravæ conſuetudinis aut educationis, invenit in ipſo diabolus unicam voluntatem, vel unicam juſtitiam, & per eam ipſum deiicit.

Diabolus quomodo probos decipiat.

Quando enim videt diabolus aliquem non velle peccare, haudquaquam adeo ineptus eſt ad maleficium, ut hoc modo promiſcuè ſtatim illi ſuggerat manifeſtum aliquod peccatum. Nequaquam ipſi dicit, vade, fornicare, neque vade furare. Novit enim nos iſta nolle, & non ſuſtinet nobis proponere quæ nolumus. Sed invenit, ut dixi, nos habentes unam quam-

piam voluntatem, aut unum aliquod opus justum, & per illud etiam bonæ rationis prætextu nos lædit.

Vnde iterum dicit: malignus malignatur cùm justitiam coadmiſcet. Malignus eſt diabolus, tunc autem malignatur, cùm juſtitiam coadmiſcet, ſcilicet juſtitiæ noſtræ. Tunc enim plus valet, tunc amplius lædit, tunc fortius agit. Quando enim propriam obtinemus [voluntatem] & noſtris nitimur iuſtificationibus, tunc utique tamquam rem bonam factitantibus nobiſmetipſis inſidias ſtruimus, neque novimus quo pacto pereamus. Quomodo enim voluntatem Dei noſſe, aut omninò quærere poſſumus, dum nobiſipſis credimus, ac propriâ voluntate nitimur?

Maximè obnoxius inſidiis diaboli, qui propriæ tenax eſt voluntatis.

Quamobrem Abbas Paſtor dicebat voluntatem eſſe murum æreum inter hominem & Deum. Conſiderate vim ſententiæ. Et rurſum adjecit, dicens: Petra eſt repercutiens, utpotè contraria & repugnans divinæ voluntati. Eam igitur ſi reliquerit homo, etiam ipſe dicet: *In Deo meo tranſgrediar murum: Deus meus immaculata via ejus.* Id prorſus admirabiliter dixit. Tunc enim quis videt viam Dei non habere maculam, cùm deſeruerit propriam voluntatem: dum verò conſentit propriæ voluntati, non cernit immaculatam viam Dei. Sed ſi quando quippiam audierit pro cautela, illicò conqueritur, deſpuit, averſatur, reluctatur. Quo

Pſal. 17. 30.

 pacto

pacto enim sustinere quemquam possit, vel cuicumque consilio acquiescere, qui propriæ tenax est voluntatis?

Deinde senex idem dicit de justitia: quòd si justitia cooperetur voluntati, non rectè conversatur homo. Papè, qualem sermones Patrum consequentiam habent! Mors propriè est, ubi reperitur justitia cum voluntate, magnum periculum, ingens metus, tunc omninò cadit miser. (Quis enim tali persuadere possit, ut credat quempiam ipso plenius nosse, quid ipsi conducat?) Tunc perfectè semetipsum tradit ad propriam voluntatem, & judicium proprium sequendum, ac tamdem pro libitu supplantat eum inimicus.

Dæmon odit eos qui consilium petunt.

Quapropter ait: Malignus malignatur, cùm justitiam commiscet. Odit autem sonum cautionis. Ait malignum non tantùm odisse cautionem, sed nec vocem ejus audire posse: quin & ipsum sonum cautelæ odio habet, id est si dicatur aliquid pro cautela. verbi gratia. Priusquam aliquid efficiat is qui pro securitate quidpiam interrogat, antequam noverit inimicus, utrum quæ audit observet nec ne, illud ipsum odit, quòd aliquem interroget, & audiat quidpiam eorum quæ ipsi conducunt. ipsam vocem, ipsumque sonum istiusmodi sermonum odit atque aversatur.

Addo etiam huius rei causam. Novit quippè tum versutiam suam innotescere

per

per ipſam interrogationem, & frequentationem ſermonis pro cautela; nec quidquam adeo abominatur ac veretur, quàm ſi cognoſcatur, quoniam non amplius invenit anſam pro libitu inſidiandi. Si enim animus ex hoc ſecurus redditur, quòd omnia ſua denuntiet, & ab aliquo intelligente audiat, fac hoc, iſtud ne feceris; hoc bonum, iſtud non eſt bonum; hoc eſt iuſtitia, iſtud eſt voluntas: item quòd audiat, nondum eſt tempus iſtius rei: aliàs audiat, jam tempus eſt: non invenit diabolus quâ ratione illi noceat, neque quomodo ipſum deiiciat, quoniam ſemper (ut dixi) gubernatur, & undique munitus eſt, fitque in illo, quod dicitur: *ſalus eſt in multo conſilio.* Malignus autem hoc non cupit, ſed odit: Vult enim malignari, & magis gaudet illis *quibus non eſt gubernatio.* Qui ſic? quia *cadunt tamquam folia.*

Magna ſecuritas in ſui manifeſtatione.

Vide illum fratrem quem malignus amabat, de quo & Abbati Macario dicebat. Habeo quemdam fratrem, qui ut me videt, adinſtar venti vertitur. Tales amat, talibus ſemper gaudet, qui gubernatione deſtituuntur, nec ſua exponunt illi qui poſt Deum opitulari, atque manum ipſis porrigere poſſit. Neque enim dæmon ille tunc ad omnes fratres accedebat, quando vidit ipſum vir ſanctus omnes iſtas delicias in vaſculis circumgeſtantem; haudquaquam illas omnibus propinabat. Sed illorum quilibet inſidias

Qui tectus eſt, circumvenitur à diabolo.

ejus percipiens currebat [ad Abbatem] & proprias cogitationes declarabat, atque tempore tentationis auxilium inveniebat, nec ultrà malignus ipsis prævalebat. Porrò miserum illum solum reperit semetipsum instituentem & à nemine auxilium habentem, eumque ludibrio habebat, & discedebat, ei gratias agens; ceteros nimirùm detestatus. Cùm rem hanc Abbati Macario, nomenque fratris indicasset, accurrens ad ipsum vir sanctus, reperit hanc esse causam ipsius perditionis, reperit ipsum nolle confiteri, deprehendit ipsum non habere consuetudinẽ se manifestandi. Quam ob causam eum diabolus vertebat quò volebat. Interrogatus enim à viro sancto: quomodo mi frater res tuæ se habent? respondit, precibus tuis benè. Et rursus sciscitanti numquid oppugnant te cogitationes? respondit; Hactenus mihi benè est, & nihil volebat fateri, donec arte quadam vir sanctus, sua sibi ut ediceret, persuasit, ac verbum Dei proferens, munivit ipsum & convertit.

Exemplum hominis tecti à diabolo illusi.

Rursum igitur venit inimicus secundùm consuetudinem volens ipsum deijcere, & turpiter deceptus fuit. Invenit enim ipsum obfirmatum, invenit ipsum non amplius deludi. Abiit igitur re infectâ & recessit ab eo confusus. Rursùm igitur [diabolus] à viro sancto interrogatus; Quomodo ille frater amicus tuus valet? non ampliùs vocavit illum amicum, sed

hostem

hostem, & execratus est eum, dicens: Quoniam & ille perversus est, neque ipse mihi credit, sed omnibus ferocior evasit. Ecce cur inimicus illum oderit, qui adhibet cautelam, quoniam semper sitit nostram perditionem. Ecce cur amet eos qui sibi ipsis innituntur, quoniam diabolo cooperantur, dum ipsimet sibi insidiantur.

Vnica causa lapsus est sui ipsius nimia præfidentia.

Equidem haud scio ullum monachi lapsum alium extitisse, nisi ex eo, quòd proprio cordi crederet. Aliqui dicunt propter hoc, aut propter illud hominem labi; ego autem (ut dixi) non novi cuipiam lapsum aliquem evenisse nisi ex hoc [quòd sibi credat] vidistin' quempiam cecidisse? Scito quòd semetipsum direxerit; nihil gravius, nihil perniciosius, quàm seipsum dirigere.

Protexit me Deus, & semper hoc periculum timui *b* Quando eram in cœnobio exponebam omnia seni Abbati Ioanni. Numquam enim, (ut dixi) præsumebam facere quidpiam absque illius sententia. Accidit aliquando ut cogitatio mea mihi suggeret: numquid hoc tibi dicturus est senex? quid vis ipsi molestus esse? Et reponebam cogitationi: Anathema tibi, & judicio tuo, & intelligentiæ tuæ, & prudentiæ tuæ, & scientiæ tuæ, quia id quod nosti, à dæmonibus nosti. Abibam igitur, ac senem interrogabam, acciditque nonnumquam ut idipsum mihi quod cogitaveram, respon-

b

S. Dorotheus omnia sua Superiori aperiebat.

 deret.

deret. Tum mihi mea ſuggerebat cogitatio. Quid ergò? Ecce id ipſum eſt, quod dixi: Numquid intempeſtivè ſenem interpellaſti? Et reponebam iſti cogitationi: ſed nunc bonum eſt, nunc à Spiritu ſancto eſt. Nam quod tuum eſt, id malum eſt, à dæmonibus eſt, à ſtatu paſſionibus obnoxio eſt, & ſic numquam abſque interrogatione cogitationi meæ fidem adhibebam.

Quies conſcientiæ ex eiuſdē apertione. Et credite mihi fratres, hinc in tanta quiete, tantaque animi tranquillitate verſabar, ut vel propter illam ipſam (ſicut *Inſtit. 1. in fine.* * aliàs me dixiſſe vobis memini) anxius eſſem. Siquidem audiveram: *Act. 14. 21.* *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*; Et videbam me nullam habere afflictionem, & timebam atque anxius eram, neſciens cauſam tantæ tranquillitatis, donec ſenex mihi ſignificavit ne affligerer: quoniam quiſquis Patrum ſeſe committit obedientiæ, hanc ſecuritatem atque tranquillitatē obtinet.

Satagite etiam vos fratres interrogare, & non vobis ipſis niti. Diſcite qualem hæc res habeat ſecuritatem, quale gaudium, qualem animi tranquillitatem. Sed quoniam dixi me nullam habuiſſe afflictionem, audite quid quo ad hoc mihi acciderit.

S. Dorothei conſtantia & viſio. Cùm adhuc degerem illic in cœnobio, ſemel ingens & intolerabilis mihi oborta eſt triſtitia, tantoque dolore & anguſtiâ premebar, ut fermè animam reddere mihi vi-

viderer; erat autem hæc afflictio ex dæmonum insidiis, & huiusmodi tentatio ex invidia diaboli ingerebatur, gravissima quidem illa, sed brevissimi temporis, molesta, obscura, consolationis expers, nullam habens requiem, sed undequaque angustia, undequaque suffocatio. Citò tamen venit Dei gratia in animam, alioquin sustinere nemo potuisset. Ceterùm ut dixi, in tanta tentatione, tantaque angustia constitutus quadam die dum dubius starem in area monasterij, Deumque pro hac re invocarem derepentè oculos intendo in Ecclesiam, videoq; quemdam habitu Episcopali tamquam sacrificaturum ingredi Sanctuarium. Numquam autem accedebam hospitem citra necessitatem, aut jussionem: tum verò ac si aliquid me traheret, secundùm illum etiam ingrediebar. At ille sat longo tempore mansit stans expansis in cælum manibus, atque ego pone ipsum stabam, cum multo pavore orans; Nam ex aspectu illius ingens me terror invaserat. Postquam verò orationem finiverat, cõversus ad me venit, quantoque mihi propinquior fiebat, tantò sentiebam amoveri à me tristitiam & pavorem. Deindè ut coram me stetit, manum extendit, & tetigit pectus meum, ac digitis illud pulsavit dicens: *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Et exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis. Et statuit supra petram pedes meos, & direxit* Psal.39.1.

 gres-

gressus meos. Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro. Atque omnes hos versiculos tertiò repetebat, pulsans (ut dixi) pectus meum, atque sic recessit. Exinde ortum est illicò in corde meo lumen, gaudium, consolatio, suavitas, & ex alio alius invenior. ut igitur egressus fuit, accurro post eum, volens ipsum invenire, & non inveni, sed disparuit Ex illa hora, per Dei miserationem, non scio me amplius fuisse vel tristitiâ, vel timore conturbatum. Sed huc usque Dominus per Sanctorum illorum senum preces me protexit. Hæc dixi vobis, ut cognoscatis quantam cum omnimodâ securitate quietem ac tranquillitatem habeat, qui semetipsum non regit, sed sua in Deum conjicit & in eos qui secundùm Deum valent ipsum dirigere.

Securitas cordis aperti & recti.

Discite igitur & vos fratres interrogare, discite vobis ipsis minimè niti. Hoc bonum est, humilitas est, tranquillitas est, gaudium est. Quid opus est, ut quis frustrà se conterat? Fieri non potest, ut quis aliter quàm hoc modo servetur. At cogitet fortasse quispiam, quid facturus sit ille, qui neminem habeat, quem interroget? Certè si quis in veritate ac toto corde voluerit facere voluntatem Dei, numquam deserit eum Deus, sed omninò dirigit ipsum secundùm voluntatem suam. Reverà si quis cor suum ad Dei voluntatem direxerit, vel parvum puerulum illuminat Deus ad jndi-

Pura intentio non decipitur.

judicandam ipsi voluntatem suam. At si quis non in veritate velit voluntatem Dei, etiamsi ad Prophetam accesserit, secundùm perversum cor ipsius, immittit Deus in cor Prophetæ quod ipsi respondeat, quemadmodum Scriptura dicit *si erraverit & locutus fuerit Propheta, ego Dominus errare feci Prophetam illum.* Idcircò debemus nosmetipsos totis viribus ad Dei voluntatem dirigere, ac cordi proprio non credere. Ezech. 14.7

Ceterùm si res aliqua bona fuerit, & audiverimus à viro quopiam sancto rem illam esse bonam, debemus quidem bonam æstimare, sed nobis ipsis minimè credere, jam nos illam benè agere, & prout justè fieri debet. Sed debemus quidem pro viribus nostris illam præstare, deindè verò etiam exponere quo pacto illam gerimus, ut sciamus utrum eam benè præstiterimus. Neque post hæc omni curâ vacandum, sed judicium Dei expectandum. Quemadmodum sanctus ille Agathon dicebat, quando interrogatus: *Num & tu Pater times?* respondit: *Hactenus quidem ego pro viribus meis egi, non scio tamen utrum opus meum Deo placuerit. Aliud enim est Dei judicium, & alind hominum.* Protegat nos Deus à periculo illorum qui sibi ipsis innituntur, dignosque faciat, ut teneamus viam patrum nostrorum, qui nomini ejus placuerunt.

Iustus debet esse semper sollicitus.

NOTÆ CORDERI.

a *Cur proprio judicio non innitendum.* HÆc doctrina pulchrè probat propriç non innitendũ prudentiæ, fraus enim & caligo in humanis ſæpè rebus dominatur, & facillimè in errorem impellimur: unde viri ſapientes adhibendũ conſilium monent. Egregiè D. Ambroſius lib. 4. Hexaëmeron cap. 6. *Mentitur*, inquit, *noſter aſpectus, nolo ergò fidele ejus æſtimare judicium.*. Et paulò poſt: *quemadmodum rotunda apparent de aſperis, ſpiſſa de raris?* In mente atque intelligentia fraus major errorque ſæpè contingit. Tenue lumen in ea oſtenditur, & fatui velut ignes, qui per avia præcipitiaque ducunt illuſos & incautos. Et quemadmodum veſpertilionum oculi ſe habent ad diei lumen ac ſplendorem; ita noſtræ mentis acies ad ea quæ alioqui per ſe clariſſima ſunt, & nos tamen effugiunt, ut docuit Ariſtoteles lib. 2. Metaphyſicorum cap. 1. Quare velut ab arce quadam ſapientiæ Rex Hebræus inclamat: *Cogitationes mortalium* (in
Sap. 9. 14. Græco λογισμοὶ *ratiocinationes*) *timidæ*, ut ſcilicet in tenebris ambulanti contingit, qui, quoniam parùm lucet, per incerta vadit, haud ſecurus ſui. Addit Salomon, *& incertæ providentiæ noſtræ.* Quod idem antiquiſſimus Orpheus ceciniſſe videtur, cujus carmen Clemens Alexandrinus libro 5. Stromatum propè cõſecravit. Omnibus, inquit mortalibus θνητοὶ κρέας εἰσὶν.

ἐνόντοις,

ἐν ὄσσοις μικραὶ parvæ & mortales in oculis sunt pupillæ, parùm vident. Adde quòd voluntas præcipiti sæpè affectione rapitur in damnum suum, & dum videtur sibi consulere, nocet: de qua verè illud juris atque legum pronuntiatum C. de sponsalibus l. 4. dici possit: *Plerumque etiam ipsius feminæ adversus propria commoda invenitur laborare consilium.* Vnde constat alienum consilium videri necessarium, ne rem nostram ad nonnullam calamitatem, velut ad scopulos allidamus; In quo mihi non dissimulanda videtur quorumdam superbia, qui tumefacti opinione sui arrogantiusque gestientes præfidunt ingenio suo, seque omnibus anteferunt, nec ullius audire consilium patiuntur: Quod Apostolus ait prudentes esse apud semetipsos, & ut vitæ nævum redarguit. Et tantò antè Sapiens illud monuerat: *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* quod maximè in propriis rebus atque negotiis periculosum esse solet, cùm animam vehementer feriant, & ob metum vel cupiditatem sæpè inobscurent, uti hoc loco pluribus pulchrè docet Dorotheus, cui subscribens Cassianus Collatione secundâ, c. 11. *Nullo*, inquit, *alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis consiliis seniorum in suo judicio persuaserit ac definitione, doctrinâve confidere. Etenim cùm omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius, quàm vitæ huius temporariæ commo-*

NOTÆ CORDERI

Prov. 3. 5.

Directore opus in spiritu.

NOTÆ CORDERI *dis prosunt, licet manu palpari queant, & oculis pervideri, rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi: quã ineptum est credere hanc solam non egere doctore, quæ & invisibilis & occulta est, & quæ non nisi corde purissimo pervidetur, cujus error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemq́ perpetuam? Habet enim non adversus visibiles, sed invisibiles atque immittes hostes diurnum, nocturnumq́ conflictum, nec contra unum seu duos, sed contra innumerabiles catervas spirituale certamen, cujus casus tantò perniciosior cunctis, quantò & infestior inimicus, & congressus occultior. Et ideo semper Seniorum summâ diligentiâ sunt sectanda vestigia, atque ad eos cuncta quæ in nostris cordibus oriuntur, sublato confusionis velamine deferenda.* Plura SS. Patrum loca, cum hac S. Dorothei doctrina apprimè consentientia vide in Panario Busæi titulo *Iudicium proprium*, ubi contra hanc vitæ religiosæ pestem plurima eaque præsentissima adfert remedia. Consule item de hoc argumento D. Bonaventuram de alis Seraphini cap. 1. & 2. & Cassianum lib. 4. Instit. cap. 9. & D. Gregorium Nazianzenum Orat. 1. Nemo igitur virtutis viam tutò aggrediatur, nisi præeuntem magistrum insequatur. Quid enim causæ est, quòd multi homines passim errent, nisi quòd suo potius judicio, quàm alieno, cui subijci debebant, abducantur? *Omnes nos*, inquit

Isa. 53 6. Propheta, *quasi oves erravimus, unusquisque*

in

in viam suam declinavit. Daturus enim rationem, ob quam omnes aberraverunt, dicit unumquemque in viam suam declinasse, hoc est, judicio suo adhæsisse. In multos enim errores incidat necesse est, qui non alium quàm seipsum sibi constituit magistrum. Quare D. Gregorius lib. 1. Diolog. cap. 1. Monachos ad majores consulendos adhortatur. *Ne dum*, inquit, *se quisque sancto spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.* Quid enim nisi errorem docere potest; qui veram doctrinam discere dedignatur? Vnde D. Bernardus Epist. 87. ad Ogerium, magnoperè eum laudat, quòd repudiato Abbatis munere, maluerit aliorum magisterio subesse, quàm præesse. *De magistro*, inquit, *fieri denuò discipulus non erubuisti. Nam cùm pastorali vinculo solutus posses tui remanere juris; tu tamen sicut alijs dominari renueras, sic tibi quoque praeesse timuisti; quia ut magister esses aliorum, minùs te judicabas idoneum, nec te quidem tibi credens, tuus fieri discipulus contempsisti. Et meritò, quia qui se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* Et paulò pòst: *Ego*, inquit, *de me expertus sum, quod dico; & faciliùs possum imperare, & securiùs possum praeesse alijs multis, quàm soli mihi.* Sic ille. Quæ hanc doctrinam S. Dorothei confirmant, qui consiliũ quod aliis dabat, ipsemet prior in usum & praxim redegit.

NOTÆ CORDERI

b. *Quando eram*, inquit, *in cœnobio* πάντα ἀναλθέμενοι τῷ γέροντι *omnia mea patefacie-*

Candor Dorothei quantus.

NOTÆ CORDERI

faciebam seniori. Vbi vim istius vocis ἀνατιθέμην non satis intellexisse videtur antiquus Dorothei Interpres, dum sic vertit: *reponebam semper omnia apud Abbatem*, quā vocem sæpius in eadem ipsa institutione malè accepit; ut cùm superius paulò pòst initiū: Ἐὰν γὰρ μὴ πάντα ἀνατίθεται ἄνθρωπος τὰ καθ' ἑαυτὸν vertit: *Nisi enim homo in cunctis sibi adversetur*, Et circa medium ἀνατιθεμένοις τῷ δυναμένῳ reddit, *qui subijciunt se.* Verùm ubique significat, *cogitationes aperire, intima sua patefacere*, nihil clausum & occultum esse velle apud eos, qui vitam nostram moderantur. Et ita quidem instituebantur religiosæ vitæ amatores, ut nullum tutius fortiusque præsidium contra satanam esse ducerent, quàm animi candorem superioribus omnia sua aperientis. Odit hoc dæmon vehementer, & nihil formidat magis, quàm si insidiæ suæ, & occultæ molitiones prodātur & patefiant. Tum nimirum desperatâ mente fugit, & verè judicat, sibi spem omnem victoriæ esse sublátam.

Candor animi dæmonem fugat,

Hac de re eleganter disputat Moses apud Cassianum collatione 2. cap. 10. & 11. aitque esse rectissimam ad perfectionem viam, studio humilitatis, candorisq; honesti, universa non solùm quæ agenda sunt, verùm etiam quæ cogitantur, consilio seniorum committere. Qui hoc faciat, nullo impetu insolentis, & veteratoris inimici, posse in fraudem & peccatum induci. *Illicò*, inquit, *ut patefacta fuerit*

cogi-

cogitatio maligna marcessit, & antequam discretionis judicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit.

NOTÆ CORDERI

Refert deinde vir ille sanctissimus, quid juveni sibi in eo genere contigisset. Nam cùm gravem ab inimico tentationem pateretur, in qua jam diu victus & prostratus jacuisset, Dei lumine tandem ictus, animum suum, & verecundiam malam pervicit, Patri spirituali candidè & simpliciter latebras animi, sinusque aperuit, tam ingenti lucro, & parto feliciter robore, ut exinde fractus satan & abjectus, vix cum illo auderet confligere.

Hoc ipsum est quod hîc docet Dorotheus, nihil adeo abominari & fugere inimicum, quàm pandi & aperiri malitiam suam: beatissimos autem, & extra periculum esse positos, qui candidi sunt & aperti Præsidibus suis, quorum prudentiâ in beata vita diriguntur. Illustrat quoque doctrinam exemplo D. Macarij, cui cùm dæmon aliquando se videndum obtulisset, & quæreret homo Dei, quonam modo stygius ille prædo cum fratribus suis ageret. Habeo, inquit unum quem ut turbinem quò volo verso. Erat autem ille unus inter omnes maximè tectus, labyrintheâ mente, anfractuoso corde, multiplici cogitatione tunicatus & obscurus, qui tametsi quæ religiosi muneris

sunt

NOTÆ CORDERI sunt exequi videretur, tamen astutam sub pectore vulpem retinebat: breviter simplex candidusque non fuit, cùm superbus sui, & dæmonis callido artificio illusus, prudentem satis, & consilio abundantem se putaret. Monitus fuit à B. Macario, & retractus in viam, atque à tetro satanæ dominatu liberatus, & sic deinceps animi candorem excoluit, ut tentationum omnium victor, sæpè trophæa de communi hoste referret. Vndè concludit rectè Dorotheus ejusmodi candorem, & sui apertionem mirâ dulcedine & quiete mentem omnem perfundere, quæ iis, qui numquam illam sunt experti, incredibilis videatur.

INSTITVTIO VI.

a DE NON JVDICANDO PROXIMVM.

a

b *Parva non contemnēda.*

b SI sermones sanctorum Seniorum memoriâ volueremus fratres, si jugiter illos meditaremur, haud facilè nosmetipsos negligeremus. Si enim, ut illi dixerunt, non sperneremus parva, & quæ nobis nullius momenti esse videntur, haudquaquam in magna & gravia incideremus. Semper vos admoneo ex his levibus (cùm scilicet dicimus quid est hoc? quid est illud?) gigni in anima pravam consuetudinem, & inchoari contemptum rerum maximarum.

Nosti

Nosti quam grave peccatum sit judicare proximum? Quid enim hoc graviùs? Quid enim Deus ita odit, atque aversatur? quemadmodum etiam Patres dixerunt nihil esse pejus, quàm [quempiam] judicare. Et tamen ab his, inquit, quæ levia videntur, devenit quis in tam grande malum. Ex nimia enim suspicione adversus proximum admissa, ex hoc dicto: Quid refert, si audiero quid frater hic loquatur? Quid est si inspexero, quò frater hic vadat, vel quid hospes iste agat? Incipit [hoc modo] mens peccata propria dimittere, & in rebus proximi occupari: ac postmodùm ex hoc nascitur obloquium, condemnatio, contemptus, ex quo etiam incidit in ea quæ condemnat: ex eo enim quòd propria mala non curat, neque proprium (ut patres dixerunt) cadaver deplorat, in nullo valet semetipsam emendare, sed semper proximum carpit. Atqui nihil adeò irritat Deum, nihilque hominem ita spoliat Dei gratiâ & præcipitem agit, sicut obloquium, aut condemnatio, aut proximi contemptus.

Suspicio mala etsi parva vitanda.

Aliud est enim obloqui, & aliud condemnare, & aliud contemnere. Obloqui quidem est aliquid dicere adversus quempiam, ut quòd mentitus, quòd iratus, quòd fornicatus sit, vel aliquid hujusmodi. Jam enim adversus eum locutus est, & quidem cum passione objecit illi peccatum suum. Condemnare autem est dicere quòd quis mendax sit, iracundus sit, for-

Grave est condemnare proximum. fornicator fit. Ecce enim condemnavit ipsam animæ ejus affectionem,& de tota ejus vita sententiam protulit, dicens quòd talis sit, eumque ut talem condemnavit quæ est res gravis. Aliud enim est dicere iratus fuit; & aliud est dicere, quoniam iracundus est, & (ut dixi) sententiam ferre de vita ejus universa. atque adeo grave est de quolibet peccato judicare;ut Luc.6, 42. Christus ipsemet dixerit: *Hypocrita eijce primùm trabem de oculo tuo; & tunc perspicies, ut educas festucam de oculo fratris tui;* Vbi peccatum proximi, cum festuca comparavit, damnationem verò illius, cum trabe; tantum malum est proximum judicare ut ferè omne peccatum excedat.

Luc.18.10. *Pharisæus publicanum iudicans ipse damnatur.* Pharisæus ille orans, & gratias agens Deo de bonis operibus suis, haudquaquam mentiebatur, sed veritatem afferebat, neq; propterea condemnatus fuit. Debemus enim Deo gratias agere, quoniam ipso cooperante nobisque opitulante, digni evasimus, ut boni quippiam ageremus. Quare (ut dicebam) non est condemnatus quia dixerat: *Non sum sicut ceteri hominum*; sed quando conversus ad Publicanum, dixit: neque *velut hic publicanus*: tum [demum] damnatus fuit: judicaverat enim personam illius, atque animi affectum, & absolutè loquendo, vitam ejus universam. Idcircò etiam publicanus descendit justificatus præ illo. Nihil enim gravius, nihil molestius, ut sæpè dico, quàm condemnare aut contemnere proximum.

Vt

Vt quid non potius nosmetipsos dijudicamus, & mala nostra exactè agnoscimus, de quibus etiam Deo rationem reddituri sumus? Cur Dei judicium usurpamus? quid volumus de figmento ejus? Numquid debemus contremiscere dum audimus, quid magno illi seni acciderit, qui cùm audisset quemdam fratrem lapsum fuisse in fornicationem, dixit: ô quàm malè egit! c An nescitis quàm horrenda res de illo narretur in libro Seniorum? Vt nimirum sanctus Angelus animam illius qui peccaverat, ad ipsum adduxerit, dixitque: Ecce quem judicasti, vitâ functus est; Quo igitur jubes ut eum mittam, in regnum, an in supplicium? Estne aliquid hâc re graviùs aut terribilius? Quid sibi vult aliud, hic Angeli ad senem sermo, nisi hoc? q. d. Quandoquidem tu judex es justorum, & peccatorum, dic quid jubeas de hac misera anima: misereríśne ejus, an ipsam punis? Vnde sanctus ille senex perculsus mansit, toto reliquo vitæ tempore cum gemitibus, cum lacrimis, cum mille laboribus Deum rogans, sibi ut peccatum illud ignosceret: idque postquam ad pedes Angeli in faciem suam procidisset ac veniam impetrasset. Cùm enim illi Angelus dixisset: Ecce ostendit tibi Deus quàm sit grave [proximum] dijudicare; ne posthac amplius hoc feceris. Quæ verba licet essent condonantis, nequaquam tamen sustinuit anima senis in luctu isto consolationem,

c

Mansuetudo erga peccantes exercēda.

lationem ullam admittere, donec exſpiraſſet.

Dei ſolius eſt de internis judicare.

Quid igitur ad nos de proximi, quid volumus de onere alieni? Habemus quod curemus fratres, unuſquiſque ſibi ipſi attendat, ac propriis malis. Dei ſolius eſt juſtificare & condemnare, qui cognoſcit cujuſque ſtatum, & vires, & converſiones, & gratias, & temperamentum, & aptitudinem, ſecundùm unumquodque horum quemlibet judicans, prout ipſe ſolus novit. Aliter enim judicat Deus res Epiſcopi, & aliter Principis. Aliter judicat res præceptoris, & aliter diſcipuli; aliter res ſenis, & aliter junioris; & aliter res infirmi, & aliter res ſani. Et quis poteſt hæc judicia ſcire, niſi ſolus ille qui fecit omnia, qui & formavit omnia, & qui novit omnia.

Quàm ſit diverſa ſors hominum.

Memini me audiviſſe quondam rem iſtiuſmodi contigiſſe. [ſcilicet:] navem mancipiis [onuſtam] appuliſſe ad quamdam civitatem. Erat autem in civitate iſta virgo quædam ſancta quæ ſibi ipſi valdè attendebat. Hæc ubi navigiũ illud appuliſſe cognoviſſet, gaviſa fuit. Deſiderabat enim puellulam quamdam parvulam ſibi comparare cogitans eam pro libitu ſuo accipere atque educare, ut nullius malitiæ huius mundi cõſcia foret. Mittens igitur qui navis illius gubernatorem accerſeret, duas ipſum habere puellas valdè parvulas, quales animo ſuo deſtinarat ipſa virgo comperit; ſtatimque

cum

cum lætitia pretium solvit, atque unam puellam sibi asciscit. Vt igitur nauclerus à virgine sancta recessit, paululùm progressus obviam habuit scenicam quamdã [meretricem] undequaque blandam quæ cùm puellam alteram penes ipsum aspexisset, actutum illam sibi capere concupivit, & factâ conventione accipit, exhibitoque pretio secum abducit.

Iudicia Dei occulta & inscrutabilia

Ipsum Dei mysterium considerate, judicium attendite. Quisnam hujus rei rationem reddere potest? Accipit igitur virgo sancta parvulam illam, atque educat in timore Dei, ad omne opus bonum ipsam informans ac docens omnem monasticam disciplinam, omnemq; absolutè sanctorum Dei mãdatorum fragrantiam. scenica similiter [meretrix] cùm alteram illam miseram accepisset, effecit eam ergastulum diaboli. Quid enim aliud furia ista docere illam poterat, nisi animæ perditionem? Quid igitur dicere possumus de horrendo isto judicio? Ambæ parvulæ erant, ambæ abductæ, nescientes quò proficiscerentur, & una inventa est in manibus Dei, altera verò incidit in manus diaboli.

Numquid igitur dicere possumus quòd tam unam, quàm alteram reposcat Deus? Quomodo id fieri potest? Vtique si ambæ in fornicationem, aut in aliud simile vitium incidissent, liceret dicere idem judicium ambas obtinere, cùm idem ambabus error contigerit. Quomodo igitur hoc

hoc fieri possit? Hæc dies atque noctes inter eloquia Dei didicit ea quæ ad judicium & regnum Dei spectant. Illa verò misera numquam scivit aut audivit aliqnid boni, sed è diverso omnia turpia, omnia diabolica: quomodo igitur fieri possit, ut eadem ab utrisque exacta diligentia exigatur? Itaque nullum potest homo nosse judicium Dei; sed ille solus omnia comprehendit, & potest singula discernere, prout solus omnia novit.

Reverà contingit, ut frater res aliquas in simplicitate faciat, habeat autem rem aliquam, quæ Deo plus quàm tota vita tua placeat, & tu sedens condemnas illum, atque animam tuam lædis? Porrò etiam ut contigerit ipsum esse subversum, unde nosti, quantum certa verit, & quantum sanguinis sui effuderit, antequam deficeret. Et forsitan ejus lapsus tamquam justitia reputatur coram Deo. Videt enim Deus laborem ejus, & afflictionem quam habuit, sicut dixi, antequam deficeret, [proindeque] ipsius miseretur, & tu id ipsum cognoscis. Ac Deus quidem miseretur ejus, tu verò condemnas illum, & perdis animam tuam? Vnde uerò nosti, quot etiam corã Deo lacrymas fuderit pro hoc [lapsu?] Nosti quidem delictum sed pœnitentiam ignoras.

Contemptus proximi gravissimum peccatum.

Interdum non tantùm condemnamus, verùm etiam contemnimus [fratrem.] Nam, sicut dixi, aliud est condemnare,

&

& aliud contemnere. Contemptus est, quando non solùm quis condemnat, sed etiam nihili facit, & quasi detestatur proximum suum; & tamquam rem tetricam abominatur eum, estque hoc pejus quàm condemnare, & omninò perniciosius. Qui autem salvari cupiunt, haudquaquam ad proximi, sed ad proprios defectus assiduè attendunt, eosque resecant. Qualis erat ille, qui cùm fratrem suum peccantem vidisset ingemuit, atque dixit: Væ mihi, quia ut ille hodie, sic ego cras!

Peccatoribus condolendum & sibi cavendum.

Vides cautionem? vides animi promptitudinem? quam opportunum reperit effugium, non condemnandi fratrem suum? per hoc enim, quod dixit: utique & ego cras: indidit sibi ipsi timorem & sollicitudinem cavendi illa in quibus fuisset peccaturus, atque hoc modo proximi condemnationem evitavit. Neque hoc illi satis fuit, verùm etiam alteri se submittebat, dicens: Atque hunc quidem pœnitet peccati sui, ego autem nullam ago pœnitentiam, non accelero, nil omninò ago ut valeam resipiscere. Vides divinæ animæ illuminationem, quæ non solùm potuit effugere proximi judicium, verùm etiam semetipsam illi submisit?

At nos miseri sine discretione judicamus, fastidimus, contemnimus, si quando quippiam viderimus, aut audiverimus, aut suspicati fuerimus: Et quod gravius est, haudquaquam in damno proprio sistimus, sed occurrimus alteri fratri, &

statim

ſtatim ei dicimus: hoc & hoc factum eſt, & lædimus eum, dum cordi ejus peccatum ingerimus; neque timemus eum, qui dixit: *Væ qui propinat proximo ſuo ſubverſionem turbidam*! ſed facimus opus dæmonum, neque nobis curæ eſt. Quid enim aliud facere poteſt dæmon, niſi turbare & nocere? Et invenimur dæmonibus cooperantes in noſtram ipſorum & proximi perniciem. Qui enim lædit animam, is dæmonibus cooperatur & opitulatur; quemadmodum & qui prodeſt alicui, is cooperator eſt ſanctorum Angelorum.

Habac. 2. 15

Vnde autem iſthæc patimur, niſi quia non habemus charitatem? ſi enim charitatem haberemus, cum commiſeratione & dolore defectus proximi intueremur, quemadmodum ait: *Charitas operit multitudinem peccatorem*. Et iterum: *charitas non cogitat malum, omnia ſuffert*, & quæ ſequuntur. Vtique & nos (ut dixi) ſi charitatem haberemus, ipſa charitas quidlibet operiret, quemadmodum viri ſancti, cùm defectus hominum viderent (Sancti enim non ſunt cæci, ſed ad peccata minimè reſpiciunt.) Ecquis autem ita odit peccatum, ſicut viri ſancti? Attamen minimè oderunt qui peccat, neque dijudicant, neque averſantur, ſed ei compatiuntur, ipſum erudiunt, adhortantur, curant, veluti membrum infirmum, omnia faciunt, ut ipſum ſervent.

Iac. 5. 20. 1. Cor. 13. 5. *Manſuetudo erga peccatores exercēda.*

Quemadmodum piſcatores, cum jacto hamo in mare, magnum piſcem cœperint,

rint, si illum tumultuari, & turbas ciere senserint, non statim ac temerè ipsum extrahunt, quandoquidem filum rumperetur, & penitus perderetur: sed callidè remittunt filum, sinuntque illum pergere quò voluerit: cùm verò advertunt ipsum viribus defecisse, & ab impetu suo cessare; tunc iterùm incipiunt paulatim eum attrahere. Pari modo viri sancti, longanimitate, & charitate fratrem trahunt, neque calcibus eum à se repellunt, neque fastidiunt; sed sicut mater, si deformem habeat filium non fastidit ipsum, neque aversatur; verùm etiam libenter ornat eum, & quidlibet agit quò illum efficiat gratiosum: sic [sancti peccatorem] semper protegunt, ornant, & suscipiunt; ut & delinquentem opportunè corrigant, neq; alium ab eo lædi sinant, utque ipsi etiam magis in charitate Christi proficiant.

Peccatum alterius occultandum.

Quid fecit sanctus Ammonas, quando fratres illi ad eum accesserunt perturbati, ac dixerunt ei; veni, vide Abba, quia mulier est in cella istius fratris? Quanta commiserationis viscera ostendit, quantam charitatem exhibuit anima illa sancta? cognoscens enim mulierem à fratre absconditam sub doliolo delitescere, accedens sedit super illud, ac dixit eis, ut per totam cellam quærerent; & cùm non invenissent, ait illis: Ignoscat vobis Deus, eosque confudit, & admonuit ne facilè quidquam adversus proximum crederent: illum autem ad sobriam mentem

reduxit, non tantùm post Deum protegens, sed & ipsum corrigens, tempus ad hoc opportunum nactus. Postquã enim omnes explosisset, solius ejus manum tenuit, eique dixit: Curam tui ipsius habe frater: qui statim pudefactus & compunctus fuit, atque illicò senis humanitas atque commiseratio in anima ejus operata est. Nos igitur etiam charitatem possideamus, & viscera misericordiæ erga proximum induamus, ut detrahendi, & condemnandi ac contemnendi vitio liberemur. Opem feramus invicem ceu propriis membris.

Peccantes quomodo sint corrigendi, & iuvandi.

Quis vulnus habens in manu, aut pede, aut quovis alio membro, semetipsum fastidit, aut proprium membrum amputat tametsi saniem emittat, & non potius emundat, abluit, emplastra apponit, cruce signat, rem aliquam sanctam adhibet, vovet, invocat Sanctos ut pro se orent, quemadmodum Abbas quoque Zosimas dixit? Et absolutè nil negligit, neque proprium membrum aut fœtorem ejus aversatur, sed quidvis facit, ut convalescat. Pari modo & nos nobis mutuo compati debemus, & cùm per nosmetipsos, tum per alios potentiores opem ferre invicem, omniaque excogitare ac facere, ut & nobis & aliis auxilio simus. *Quoniam sumus invicem membra*, ut ait Apostolus, Si enim *omnes unum corpus sumus, singuli autem alter alterius membra: & si quid patitur unum membrum: compatiuntur omnia membra.* Quid

Ephes. 4. 25. Rom. 12. 5. 1. Cor. 12. 26

Religio est mysticum corpus & quæ sint officia membrorum eius.

Quid nos cœnobia existimamus? An non videntur unum corpus esse, singuli autem membra? Qui enim regunt & administrant, caput sunt; qui speculantur & dirigunt, oculi: qui sermone prosunt, os; qui obediunt, aures: qui operantur, manus & pedes, Apocrisarij, qui in communibus negotiis conficiendis, ministeriisque versantur. Caput igitur es? guberna. Oculus es? adverte animum, & cogita. Os es? loquere, adjuva. Auris es? pareas. Manus es? operare. Pes es? ministra. Vnusquisque pro facultate sua corpori deserviat, & studete semper ut invicem juveris: sive docendo, & verbum Dei in cor fratris instillando, sive consolando illum in tempore tribulationis; sive manum operi admovendo, & auxilium præbendo. Vnusquisque simpliciter (ut dixi) pro virili satagat, ut mutuo uniatur. Quantum enim quis proximo unitur, tantumdem unitur Deo.

Amor Dei & proximi, sunt invicem coniuncti.

Narro vobis exemplum ex Patribus, ut vim dicti huius intelligatis. Supponite mihi in terra circulum esse, v. g. figuram aliquam rotundam à diametro centri (centrum dicitur ipsummet intimum circuli medium) usque ad centrum. Advertite mentem vestram ad id quod dicitur. Hunc circulum existimate mihi mundum esse, ipsum verò medium circuli, Deum: rectas autem à circulo ad medium, vias seu instituta esse hominum. In quantum igitur viri sancti ad interna

 ingre-

ingrediuntur, Deo appropinquare desiderantes, secundùm ingressus proportionem ipsi Deo sibique mutuo propinquiores fiunt, & quantum Deo appropinquant, tantum sibi mutuo appropinquant, & quantum sibi mutuo appropinquant; tantum appropinquant Deo. Similiter etiam recessum cōsiderate. Quando enim semetipsos à Deo removent, & ad externa convertunt, manifestum est, quod quantum egrediuntur, & elongant se à Deo, tantundem etiam illos ab invicem elongari, & quantum removentur ab invicem, tantumdem removeri à Deo. Ecce talis est natura charitatis. In quantum quidem foris sumus, & non diligimus Deum, in tantum singuli à proximo distamus. Si verò Demm dilexerimus, quantum Deo per dilectionem ejus appropinquamus, tantum unimur charitati proxlmi, & quantum unimur proximo, tantum unimur Deo. Faxit Deus, ut quæ nobis utilia sunt, audiamus, atque eadem faciamus. Quantò enim diligentiores & studiosiores fuerimus, ad ea quæ audimus exequendum, tantò etiam magis Deus semper nos illuminat, ac voluntatem suam docet.

NOTÆ CORDERI.

HÆc doctrina est de non judicando a proximo, & mãſuetudine atque clementia erga peccantes exercenda; ubi cùm ſiniſtram de proximo ſuſpicionem, atque judicium, mirificè exaggerat, hyperbolicè (ut concionatores in ſimili argumento ſolent) multa dicere notatur in Indice expurgatorio, quæ non omnia ad amuſſim ſcholaſticæ Theologiæ revocanda ſint. In argumento valdè convenit cum epiſtola octava S. Dionyſij Areopagitæ ad Demophilum, quam, ſi lubet, cum hac doctrina confer: quia invicem ſe illuſtrant.

b Si ſermones ſanctorum Seniorum, &c.] Pulchram proponit hîc doctrinam de minimis non negligendis, utpotè, à quibus ſit proclivis in majora vitia prolapſio. Quo de argumento vide perutilem tractatum aſceticum Iulij Nigronij *De cura minimorum*, ubi hanc Dorothei doctrinam, eleganter dilatat, & ſententiarum & auctoritatum è Scripturis ſanctorumque Patrum monumentis depromptarum multiplici varietate illuſtrat.

c An neſcitis quam horrenda res, &c.] Exemplum hoc non eſt abſimile iſti, quod S. Carpo in viſione divinitùs exhibitum narrat S. Dionyſius epiſt. octava, quo mirabilis Dei erga peccatores clementia declaratur; & quomodo non ad

NOTÆ CORDERI

interitum urgendi, ſed ad vitæ in melius commutandæ rationẽ inducendi ſint, luculenter edocetur: ut fragilitatis humanæ memores, manſuetudinem erga delinquentes exerceamus. Saluberrima deinde proximum corrigendi ac juvandi media, ſuggerit & pulchris ſimilitudinibus illuſtrat.

d Pedes Apocriſarij, &c.] Οἱ πόδες εἰσὶν οἱ Ἀποκρισιάριοι, ϗ οἱ ἔχοντες τὰς διακονίας. Quod antiquus Interpres vertit: *pedes qui reddunt reſponſa, & adminiſtratores ſunt.* Sed quid reſponſo cum pedibus, quod potius ori convenit? Non ſatis intellexit officium apocriſarij, quod in externorum monaſterij officiorũ procuratione ſitum erat, ideoque quòd frequenter illis excurrendum eſſet, rectè pedibus comparantur. Verto igitur: *pedes ſunt Apocriſarij, qui in negotiis conficiendis miniſteriiſq; verſantur.*

Apocriſarij cur pedibus aſsimilentur.

Diſputat enim de variis gradibus Monachorum, humani corporis ſimilitudine, & ait caput eſſe illos qui gubernant, & ceteris præficiuntur: pedes verò externarum rerum procuratores. Vbi inferioris notæ vult eſſe Apocriſarios, & externis monaſterij negotiis implicatos. Reperiuntur quidem aliquando Abbates Monaſteriorum Apocriſarij, qualis Abbas ille Thomas in Prato ſpirituali cap. 86. qui dicitur Apocriſarius Cœnobij Apemeenſis pro utilitate monaſterij abijſſe Theopolim. Sed illud rarum eſt, & pro gravioribus tantum ut puto negotiis: quemadmo-

modum Episcopos fuisse interdum Apocrisarios ait Hincmarus Epist.3. Vide plura de hoc officio superius ad institutionem primam annotata.

INSTITVTIO VII.

DE SVI IPSIVS ACCVSATIONE.

QVæramus fratres, unde nonnumquam audiat quis verbum molestum, & pertranseat illud absque perturbatione, ac si fermè nihil audivisset: nonnumquam verò audiat, atque illicò perturbetur? Quæ est causa istiusmodi discriminis? Num res hæc unicam talis di-criminis causam habet, an multas? Ego quidem adverto eam multas habere causas, unam tamen (ut ita quis dicat) esse genitricem ceterarum causarum multarum. Modum edissero. *Quæ sint causa perturbationum.*

Primùm quidem contingit quempiam reperiri post orationem, aut bonam applicationem, & invenitur (ut ita quis dicat) in bona constitutione, & tolerat fratrem suum, & pertransit absque perturbatione. Rursus accidit, ut inveniatur aliquis, qui erga quempiam benè afficiatur, atque idcircò sine molestia toleret ea quæ ab illo ipsi inferuntur. Accidit iterum, ut quis contemnat eum, qui vult ipsum lædere, tamquam vilipendens ea quæ ab illo procedunt, neque illi tamquam homini attendens neque ullam di-

 cto-

ctorum ipsius habent rationem.

Exemplum religiosi, in speciem valdè mansueti & tranquilli.

Narro vobis aliquod exemplum, ut admiremini. Erat quidam frater in cœnobio, antequam ego inde discederem, quem numquam videbam vel turbatum, vel erga quemquam exacerbatum, tametsi aspiciebam multos fratres ipsi injuriam inferentes, & molestiam facessentes. Adeo autem æquo animo junior ille ferebat ea quæ à quolibet illorum ipsi ingerebantur ac si nullus omninò ei molestus accidisset. Ego itaque patientię ipsius excellentiam semper admirabar, & desiderabam discere unde virtutem hanc obtinuisset, ipsique seorsum semel assumpto, & exhibitâ reverentiâ, insinuo mihi ut diceret, qualem semper in corde suo haberet cogitationem, quando vel injurias vel quascumque molestias à quopiam patiebatur, eò quòd tantam exhiberet longanimitatem. Ille autem respondit, tumidè cum insolentia, mihique dicit: Ego sic soleo his imperfectionibus attendere, sive illas ita suscipere, sicut ab hominibus excipi solent juvenes catelli. His auditis, demisi aures meas, & mihi ipsi dico: Hic frater viam [non] invenit, & meipsum cruce signans, secessi, orans, ut & me, & ipsum Deus protegeret. Itaque contingit etiam (ut dixi) ex contemptu injuriarum, ut quis minimè perturbetur, a quæ est manifesta perditio.

Quòd autem quis conturbetur adversus fratrem sibi molestias facessentem id pro-

provenit, vel ex eo quòd istâ horâ non sit animo benè composito, vel ex eo quòd adversus eum foveat aliquam indignationem. sunt quidem & aliæ complures hujusce rei causæ, quæ variis modis allatæ sunt: [præcipua] tamen ratio omnis perturbationis, si diligenter inquisiverimus, est ista, quòd nosmetipsos non accusemus. Indè habemus totam hanc tribulationem, inde numquam invenimus quietem. Neque verò hoc mirandum est, cùm ab omnibus Sanctis audiamus, *b* non esse aliam viam præter hanc, & videamus nullum umquam aliâ viâ incessisse, ac quietem reperisse: & nos quiescere exspectamus, aut viam omninò rectam tenere, cùm numquam nosmetipsos accusare sustineamus? Reverà etiamsi homo millenas vivendi rationes exercuerit, hanc autem viam non tenuerit, numquam desinet se & alios affligere, & universos labores suos perdere. Quale autem gaudium, qualemque quietem non habet istiusmodi, qui; (ut aiebat Abbas Pastor) quócumque iverit, semetipsum accusat? Quidquid enim ipsi acciderit, sive damnum, sive ignominia, sive alia quæcumque afflictio, se illâ dignum judicat, nec umquam perturbatur. Estne aliquid hoc tranquillius?

Quæ sit primaria causa turbationis animi.

b

Accusatio sui ipsius, internæ pacis origo, & conservatrix.

Verùm dicet aliquis, si frater me afflixerit, & meipsum perscrutatus reperero me nullam ei dedisse occasionem, quomodo possim meipsum accusare? Profe-

Patientia acquirenda ratio.

ctò si quis cum timore Dei seipsum examinet, utique deprehendit omninò se dedisse causam, sive opere, sive verbo, sive gestu. Quod si verò semetipsum (ut ait) impræsentiarum viderit in nullo horum causam prorsùs ullam præbuisse, verosimiliter aliàs ipsum afflixit, sive in eadem re, sive in alia. Vel fortè alium fratrem vexavit, ideoque hoc pati debebat, aut sæpè etiam ob aliud peccatum. Itaque si quis (ut dixi) cum timore Dei semetipsum examinaverit, & conscientiam propriam accuratè excusserit, omninò reum se reperiet.

Rursùs accidit, ut quis se videat quasi in pace ac tranquillitate sedentem, & simul ac frater ei verbum molestum dixerit, conturbetur, atque ex hoc quodammodo arbitretur iure merito se in ipsum invehi, dicens: si ille non venisset, mihique locutus fuisset, ac me conturbasset, minimè peccassem. Atqui hoc ridiculum est, ac præter rationem. Non enim is qui verbum ipsi dixit, passionem illi iniecit, sed in ipso latentem manifestavit, ut si vellet, pro ea pœnitentiam ageret.

Afflictio passiones detegit, non producit.

Talis non absimilis est siligini impuræ extrinsecùs quidem speciosæ, intrinsecùs verò putrescenti, quod ubi quis fregerit, tunc apparet lutum ejus. Sic & ipse sedebat cum pace ut arbitrabatur, sed habebat intra se passionem, quam nesciebat. Vnicum verbum dixit ei frater ejus, & lutum quod intus latebat, evomuit.

Si

Si igitur misericordiam consequi velit, pœnitentiam agat, purget se, proficere studeat, & videbit se potius fratri gratias agere debuisse; utpotè qui tantæ sibi fuerit occasio utilitatis. Non enim jam amplius ipsi æquè graves accidunt tentationes, sed quantum proficit, in tantum fit fortis & valens ad quæcumque contigerint toleranda.

Quemadmodum si iumentum aliquod forte quis oneret, ipsum onus cum tranquillitate gestat, si contigerit ipsum alicubi impingere, aut cespitare, illicò erigitur, & vix percipitur cespitasse. At si miserum fuerit animal, etiam quidlibet ipsum gravat, ac si ceciderit, magno ei opus auxilio ad resurgendum.

Pari modo sese habet anima, quæ pro ratione peccati quod operatur ex eo misera efficitur. Cùm enim peccatum, miseriam & corruptionem auctori suo creet, quidquid postmodùm acciderit, id ipsum gravat. Si verò profecerit homo, tum juxta rationem profectus leviora quoque redduntur illa quæ ipsum olim gravabãt.

Itaque plurimùm nobis prodest, & ad magnam tranquillitatem atque profectum confert, si in iis quæ accidunt, nosmetipsos, & alium neminem cùlpemus, præsertim cùm nihil absque divina providentia nobis valeat evenire.

Si quis ergò dixerit: quo pacto possim non affligi, cum re quâpiam opus habeam, nec eam accipiam? Ecce enim res *Providentia Dei fidendũ.*

illa mihi omninò necessaria. Sed nec hic rationem habet quempiam accusandi, aut se adversus aliquem conturbandi. Ac si reverà indiget re quapiam (ut dicit) nec illam accipit, ita secum dicere debet;
c. *c* novit Christus melius quàm ego, quid mihi sit opus; & ipse fiat mihi huius rei, vel huius cibi loco.

Ioan. 6. 31. Filij Israël quadraginta annis manducaverunt manna in deserto, & unica quidem species erat manna; cuilibet tamen existebat id quo indigebat, indigenti salso, salsum erat; indigenti dulci, dulce fiebat, atque unicuique simpliciter conveniens erat ejus temperamento. Pari modo igitur, si quis ovo indiguerit, & tantùm olus accipiat; dicat suæ cogitationi, quòd si mihi utile fuisset, Deus utique id mihi misisset: Quin imò potest efficere, ut illud ipsum olus mihi adinstar ovi sit: & credat Deo, id sibi fieri in testimonium. Nam reverà si quis animi tranquillitate, cordisque puritate dignus sit habitus, reddit Deus ipsum certiorem, se facturum cum ipso misericordiam, prout illi opus fuerit. Si verò indignus est quiete, vel ipsi non conducit, licet Deus novum cælum, novamque terram fecerit, numquam inveniet quietem.

Providentia Dei in omnibus agnoscenda. Certè aliquando quidem quis reperit quietem ampliorem quàm opus habeat; aliquando verò non tantam, quantâ indiget. Nonnumquam etiam accidit, ut quædam suprà necessitatem dispenset,

quo;

quoniam Deus, tamquam misericors unicuique necessaria impertitur. Quando igitur quædam supra necessitatem præbet, tunc illi ostendit benignitatis suæ excellentiam, ipsúmque docet gratitudinem: quando autem non tantum quantum ei opùs est tribuit, id facit ut cognoscat ipsius rei, cuius indiget, momentum, & docet ipsum patientiam.

Itaque in omnibus animum ad res supernas intendere & sive bona sint, sive mala quæ ab aliquo patimur, sursum aspirare, & in quibuslibet eventibus Deo gratias agere debemus, nosmetipsos semper incusantes, & dicentes ut Patres nostri solent. Siquidem umquam boni quippiam acciderit, id esse Dei dispensationem, si verò malum, id fieri propter peccata nostra. Reverà enim quidquid patimur, id ob delicta nostra patimur. At verò Sancti, si quid patiuntur, pro nomine Dei patiuntur, aut ut eorum virtus ad multorum utilitatem ostendatur, aut ut merces ipsorum apud Deum multiplicetur. De nobis autem miseris, quomodo hoc dicere possumus, qui quotidie sic peccantes, & passiones nostras defendentes, dimisimus viam rectam, quam Patres dixerunt, in sui ipsius accusatione consistere; & incedimus viâ tortuosâ, proximum accusantes? Vnusquisque enim nostrum, quacumque in re, culpam & onus in fratrem suum conijcere conatur. Quilibet mandata negligit, & non custodit,

Humilitas continua est necessaria.

Via recta in sui accusatione consistit.

ſtodit, atque à proximo illa exigimus.

Quomodo plerumque alter alterum incuſat, & nemo ſemetipſum culpet?

Venerunt ad me aliquando duo fratres ſibi invicem offenſi, ac maior dicebat de minore: cùm injungo ipſi rem quampiam offenditur; & ego pariter offendor, quia ſi adhiberet mihi fidem & charitatem, præcepta mea cum fiducia admitteret. Reponebat autem junior: Ignoſce Domine, quia fortaſſe non loquitur mihi cum timore Dei, ſed tamquam volens mihi imperare; & arbitror idcircò cor meum minimè perſuaderi, ut Patres aiunt. Adverte animum, quemadmodum ambo ſeſe invicem accuſabant, & neuter eorum in ſeipſum culpam referebat.

Rurſus alij duo cùm ſibi invicem infenſi eſſent, & à ſe mutuo veniam poſtulaſſent, imperſuaſibiles permanſerunt. Atque unus quidem dicebat, quoniam non ex corde à me veniam petiit, atque idcircò non mihi factum eſt ſatis. (ſic enim Patres loquebantur) Alter verò dicebat: Quoniam non habebat perfectam erga me charitatem, antequam ab ipſo veniam peterem, idcircò neque mihi factum ſatis. Vides ne ludibrium Domine? vides ne perverſionem cogitationis? Novit Deus me percelli, quia Patrum ſententias ad noſtras quoque perverſas invèrtimus voluntates, & animarum noſtrarum interitum.

Facilè quis de altero ſiniſtro ſentit.

Quilibet illorum debuerat in ſemetipſum culpam retorſiſſe; atque alter quidem dixiſſe: quoniam non ex corde à

fra-

fratre meo veniam petij, propterea Deus non placavit ipsum. Alteri verò dicendum fuerat: quoniam ego non eram in fraterna charitate perfectus, antequam à me veniam peteret, idcircò Deus ipsum non pacavit.

Similiter oportuerat etiam pueros illos alios fecisse. Primus enim debuisset dicere: quia ego cum nimia auctoritate loquor, idcircò non persuasit illi Deus, [ut mihi acquiesceret] Atque alius secum cogitare debuerat: quoniam frater meus cum humilitate, & charitate mihi imperat, sed ego sum refractarius, neque timorem Dei habeo. Nullus eorum invenit viam, ut seipsum accusaret: sed quilibet proximum suum oneravit.

Non proficimus, quamdiu alios, & non nos ipsos accusamus.

Ecce idcircò non invenimus nos proficere, non invenimus nos umquam aliquod emolumentum facere, sed manemus omni tempore nobis invicem adversantes, & nosmetipsos conterentes, quoniam unusquisque semetipsum iustificat: unusquisque seipsum negligit (sicut antea dixi) ut nil observet, & à proximo mandata exigimus. Propterea bono minimè assuescimus, quia si parum quid luminis acceperimus, statim illud ipsum à proximo exigimus, accusantes eum & dicentes quia sic agere debuisset, & quare ita non egerit? Quid ni potius à nobis ipsis mandata exigimus, & nosmetipsos accusamus, utpotè minimè observantes?

Vbi est senex ille, qui interrogatus: Quid

Quid esset potissimum, quod in hac via reperisset? Respondit & dixit: id esse sui ipsius in omni re accusationem, quod & is qui interrogaverat, approbavit, eique dixit, non esse aliam viam præter hanc. Similiter & Abbas Pastor cum gemitu dicebat omnes virtutes in hanc domum introisse præter unicam virtutem, & sine hac cum labore hominem subsistere. Cumque interrogassent ipsum quænam esset hæc virtus, respondit: ut homo semetipsum accuset. Sanctus autem Antonius dicebat hoc magnum esse opus hominis, ut quis lapsum suum sibi imputet in conspectu Dei, atque tentationem ad extremum usque halitum expectet. Atque ubique reperimus Patres, cùm hoc observassent, omniaque sua usque ad minutissima quæque, in Deum retulissent, tum demum quievisse.

Sine sui ipsius accusatione cetera virtutes nil prosunt.

Talis erat sanctus ille senex, qui cùm ægrotaret, ac frater quidam lini seminis oleum, quod valdè noxium est, pro melle in pulmentum ejus infudisset, nihil omninò dixit, sed tacens unam & alteram patinam comedit; & postquam necessitati suæ satisfecisset, nequaquam accusavit fratrem in seipso dicens: quia me contempsit. Et non tantùm hoc non dixit: sed ne verbulo quidem ipsum contristavit. Quando autem frater ille rescivit quid fecisset, cœpit affligi dicens: Occidi te Abba, & tu tuo silentio mihi peccatum illud imposuisti. Quantâ verò

Exemplum mansuetudinis & patientiæ.

man-

mansuetudine respondit ipsi dicens: Ne te affligas fili: si voluisset Deus ut mel ederem, mel utique posuisses: & statim rem in Deum retulit.

Quid hoc ad Deum, ô bone senex? Frater oblitus fuit, [aut erravit] & tu dicis: si Deus voluisset? Quid hoc ad rem? Et respondit: [multùm] utique, si Deus voluisset ut mel comederem, frater mel habuisset. Atqui hoc accidit, cùm tantâ senex infirmitate laboraret, ut plurimis diebus cibum capere non posset, attamen non fuit adversus fratrem exacerbatus, factum illud in Deum retulit, ac conquievit. Et rectè quidem senex locutus fuit, sciebat enim, quòd si voluisset Deus ut mel ederet, fœtidum illud oleum in mel convertisset. Nos autem in re qualibet in proximum invehimur, accusantes illum, & increpantes, tamquam nos contemnat, & contra conscientiam suam agat: Et si verbulum aliquod audiverimus, statim illud pervertimus, dicentes: nisi me pungere voluisset, hoc non dixisset.

Vbi est Sanctus ille qui de Semei dicebat: *Dimitte eum ut maledicat: Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* An verò homicidæ locutus est Deus, ut Prophetam malediceret? Quomodo igitur Deus hoc dixit ipsi? Vtique Propheta cùm haberet exploratum ac perspectum nil æquè misericordiam Dei in animam advocare atque tentationes, præsertim

2. Reg. 16. 11. *Davidis tolerantia iniuriarum.*

quæ

quæ afflictionis ac seditionis tempore afferuntur & affliguntur, Dimittite,inquit, ipsum, ut maledicat David; quoniam Dominus, id illi dixit: Qui sic? *Si fortè respiciat Dominus humiliationem meam, & redire faciat mihi bona pro maledictione illius.* Viden', quàm prudenter Propheta fecerit? Vnde indignabatur his qui maledicum ulcisci volebant, dicens: *Quid mihi & vobis est filij Sarviæ? Dimitte eum, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei* Nos verò a duci non possumus, ut de fratre nostro dicamus: Quoniam Dominus dixit illi: sed si verbum audiverimus, statim caninum quid patimur. Lapidem quis in ipsum proiiciat, proiicientem relinquit, & lapidem mordicat. Sic & nos facimus: Dimittimus Deum qui tribulationes nobis ad peccatorum nostrorum expiationem inferri permittit; & in proximum invehimur, dicentes: Cur mihi hoc dixit? cur mihi hoc fecit? Cumque possemus è similibus multum proficere, è contrà nobis ipsis insidiamur; ignorantes hæc omnia fieri providentiâ Dei ad utilitatem uniuscuiusque. Deus Sanctorum precibus nos erudiat.

Impatientes sunt canibus similes.

NOTA

NOTÆ CORDERI.

a QVæ est *manifesta perditio.*] Græcè Τοῦ δὲ περιφανής ἐστιν ἀπώλεια. Antiquus Interpres vertit: *Quod quidem evidens est mortificationis indicium.* sed abit à mente Dorothei contrarium dicentis, scilicet ipsum penitus periisse, qui fratrem suum adeò contemnit, ut ipsius iniurias propter hominis vilitatem audire dedignetur; Hanc esse ipsius mentem, patet ex principio huius Institutionis, ubi adfert aliam causam, cur aliquis alicuius iniuriis non commoveatur; nimirùm quia illum prorsùs contemnit, & bestiæ potius, quàm hominis loco ducit.

b *Non esse aliam viam præter hanc*] scilicet propriæ accusationis de qua agit hac Institutione. Huc refer illud Sapientis in Proverbiis: *Iustus prior est accusator sui. Et cogitationes iustorum judicia.* sic Diadochus cap. 18. agnoscit in homine tribunal, judiciiíque suffragia, quæ incorrupta esse nequeant, nisi mens, inquit, à molestis vitæ curis soluta sit atque libera. Id tribunal nihil est aliud, ut quidam volunt nisi conscientiæ vis, quam Dorotheus suprà sub initium Institutionis tertiæ nominat λογισμὸν dominantem rationem, quæ mentem illuminat instar luminis, aut scintillæ inhærentis, quâ malum à bono dignoscitur. S. Leo serm 3. de Quadragesima, Censorium judicium esse vult,

Prov. 18. 17. Prov. 12. *Iudex est sui ipsius accusator, & iudex.*

&

NOTÆ CORDERI

& severum, cùm sic monet: *Scrutetur quisque conscientiam suam, seq. ante se statuat proprij censurâ judicij.* Sed elegantissimè D. Augustinus serm. 88. de tempore. *Tu agnosce; & Deus ignoscit.* Idem in Psalmo 44. *Puniendum est peccatum, aut à te, aut à Deo: tu agnosce, ut ille ignoscat.* Sed clarius adhuc in lib. 50. Homiliarum hom. 2. sic ait: *Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi judex, torqueat te timor, erumpat confessio, dic Deo tuo. Quoniam iniquitatem meam agnosco.* Vult nimirùm, ut cognito animi statu, & ex seria disquisitione diei noxis patefactis, concipiamus verum intimumque dolorem, iustam ægritudinem, & compunctionem, quæ reum velut in equuleo ponat, & torqueat. Hunc quotidianum conscientiam suam dicto modo examinandi usum tam fructuosum esse censet Chrysostomus, ut Psalmum quartum interpretans, non dubitaverit dicere, si per mensem tantùm debitè fiat, sufficere ut perfectus habitus virtutis generetur.

In Deum omnis cura proiicienda.

c Novit Christus melius quàm ego, quid mihi sit opus. Pulchrè docet omnem sollicitudinem & curam nostram in Deum coniiciendam esse, juxtà illud Psalmi: *Iacta cogitatum tuum in Dominum*: In Hebræo est *omne tuum, pondus tuum,* q. d. tua negotia, tuas necessitates, & molestias proiice, & repone super Deum, eaque Deo committe, conquiesce in eius providentia. S. Hieronymus legit: *Proiice super*

per *Dominum charitatem tuam*, vel ut Chaldæus habet : *ſpem tuam*. Quæ omnia ſignificant illud celſum & glorioſum propoſitum animi religioſi, qui ſponte maximâ, & voto laudabili, curam omnem ſuam, ſpem, charitatem, omnem denique vitæ rationem à ſe transfert in Deum, ut ab illius benevolentiſſima cura & amore totus pendeat. Quò ſpectat etiam aureum D. Petri monitum cùm de Numinis providentia meminit : *Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis*. Hoc altè cordi infixum ſibi habebat B. Franciſcus, qui coram Aſſiſinate Præſule vili dumtaxat linteo tectus ; Nunc, inquit, liberrimè dixero ; Pater noſter qui es in cælis. Idem ſuis in viaticum dare ſolitus eſt hunc Pſalmi verſum : *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*. Romano autem Pontifici de alimentis ſciſcitanti reſpondit : Matrem quidem habemus pauperem religionem, ſed Patrem ditiſſimum. Ita prorsùs eſt. Hic pater tantâ ſuos curâ & providentiâ complectitur, ut cùm humana deſunt auxilia, ſubminiſtret divina.

NOTÆ CORDERI

1. Pet. 5. 7.

Pſal. 54. 23.

INSTI-

INSTITVTIO VIII.

DE INIVRIARVM MEMORIA.

Ira domãda maximè religiosis.

PAtres dixerunt peregrinum esse monachis irasci, similiter & contristare quempiam Item, *a* si quis iram superaverit, hunc dæmones superasse: si quis verò ab hac passione victus fuerit, hunc esse omninò à vita monastica alienum, &c. Quid igitur de nobis ipsis dicere debemus; qui ne quidem intra perturbationis, iræque limites consistimus, sed nonnumquam etiam ad iniuriarum usque memoriam nosmetipsos concitamus. Quid [inquam] aliud, nisi miserabilem istiusmodi, & inhumanum statum nostrum lugere debemus? Vigilemus igitur fratres, & nobis ipsi post Deum opitulemur, ut ab huius perniciosæ passionis amaritudine liberemur.

Contingit enim ut quis fratri suo reconcilietur sicubi inter ipsos perturbatio (ut fit) aut contentio intercesserit, & tamen post reconciliationem perseveret tristis, & variis adversus ipsum cogitationibus exagitetur. Talis non debet istiusmodi cogitationes contemnere, sed actutùm amputare. Est enim ista iniuriarum reminiscentia. Et magnâ opus est vigilantiâ, ut dixi, ne diutius in his immoretur, ac periclitetur. Qui enim reconciliatus est fratri suo, quasi ex præcepto

Iniuriarum memoria deponenda.

cepto

cepto id præstitit, & iram quidem in præsentiarum sedavit, sed contra memoriam iniuriarum nondum pugnavit, & idcircò adversus fratrem suum tristis perseverat. aliud namque est memoria iniuriarum, & aliud ira, & aliud excandescentia sive fervor, & aliud perturbatio.

Primi motus iræ compescendi.

Addo vobis exemplum, quo rem intelligatis. Qui focum accendit, primùm quidem parvam prunulam habet, quod est verbum fratris affligentis: Ecce adhuc prunula est exigua. Quid enim est verbulum fratris tui? Si istud toleraveris, prunulam extinxisti. Si enim manseris cogitabundus: quare hoc mihi dixit? Et ego habeo quod ei reponam. Nisi me affligere voluisset, hoc non dixisset: sed crede, possum & ego ipsum affligere. Ecce segmenta ligni, vel quid simile congessisti, quasi focum accensurus, & fumum excitasti, quod est perturbatio.

Quid sit perturbatio, quid audacia.

Porrò perturbatio est ista motio, & conflictatio cogitationum, quæ cor excitat & audax reddit. Audacia verò est excitatio vindictæ adversus eum qui nos afflixit, quæ & temeritas fit, sicut dixit Abbas beatus Marcus. Malitia enim præmeditata, cor ferox efficit; extincta verò per orationem ac spem, id ipsum conterit. Si enim parvum illud fratris tui verbulum æquo animo tulisses, utique & parvam illam (ut dixi) prunulam priusquam perturbatio exoriatur extinxisses. Attamen & hanc si velis, dum tenera est, facilè

facilè potes extinguere, per silentium, per orationem, per unicam cordis pœnitudinem: sin pergas fumum excitare, veluti animando & excitando cor tuum, eò quòd tecum cogites: cur mihi hoc dixit? habeo & ego quod illi dicam: Ex hoc congressu & agitatione cogitationum, corde quasi attrito, & calefacto, fit excandescentia seu accensio furoris. b Furor enim, ut S. Basilius ait, est ebullitio sanguinis circa cor. Ecce factus est furor seu excandescentia, quam repentinam iram, seu bilem acutam vocant. Si igitur velis, potes etiam hanc extinguere, antequam fiat ira permanens: sin verò perseveres turbare & turbari, inveniris similis mittenti ligna super foco, atque ignem amplius succendenti, atque hoc est quod dicebat Abbas Zosimas, quando interrogatus fuit, quid sibi vellet dictum illud: *Vbi non est furor, quiescit pugna.* Si quis enim initio turbationis, quando incipit, ut diximus, fumigare & scintillas aliquas emittere, præveniens semetipsum accusaverit, & pœnitentiæ signum exhibuerit, priusquam excandescat & furor oriatur, pace fruitur. Ceterùm, si postquam ortus est furor, minimè quieverit, sed pergat perturbari & irritari, reperitur, ut diximus, similis ligna igni apponenti, atque ardere perseverat, donec ingentes prunas effecerit. Quemadmodum igitur prunæ fiunt carbones, & seponuntur, atque ad annos aliquot manent incorrupti, neque

b *Furor ira brevis, seu excandescentia.*

Passio ira statim initio supprimẽda.

neque putrescunt; quantumvis aquam quis in illos coniecerit. Sic etiam *c* ira si diu duraverit, fit injuriarum tenax memoria; & nisi quis postea totum ejus sanguinem emunxerit, ab ea nequaquam liberatur. *c*

Ecce jam dixi quod sit inter hæc discrimen, vos illud considerate. Ecce audistis quid sit prima perturbatio, quid furor, quid ira, quid iniuriarum tenax memoria. videtisne ut ab unico verbo quis in tantum malum eruperit? Si enim a principio sibi culpam imputasset, & verbum fratris sui tolerasset, neque semetipsum ulcisci, neque pro unico verbulo duo, aut etiam quinque reponere, nec malum pro malo referre voluisset, utique ab omnibus his malis sese exemisset. Quamobrem semper vos moneo, ut passiones dum tenellæ sunt exscindatis, priusquam adversus vos obfirmentur, & ad miseriam redigamini. Aliud enim est parvam herbulam evellere, & aliud magnam arborem eradicare.

Ira perseverans fit iniuriarum memoria.

Nihil æquè demiror, quàm quòd minimè intelligamus quid psallamus. Quotidie psallimus, & nobis ipsis imprecamur, & non intelligimus. Numquid scire debemus, quid psallamus? Quoniam semper dicimus; *d Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Quid est, *decidam*? Dum aliquis stat, potest adversario suo resistere, cædit, cæditur; vincit, vincitur. Adhuc

Passiones dū teneræ sunt amputandæ.

d Psal. 7. 5.

enim ſtat. Si autem prius ceciderit, quomodo humi jacens adverſus hoſtem amplius pugnare poterit? Et nobis ipſis imprecamur, ut non ſolùm cadamus ab inimicis noſtris, verùm etiam ut inanes corruamus. Dicamus itaque quid ſit cadere quempiam ab inimicis ſuis inanem. Cadere, eſt non amplius habere poteſtatem reſurgendi, eò quòd humi iaceat. Inanem verò cadere, eſt nihil amplius habere boni, quo quis poſſit erigi. Qui enim reſurrexit, poteſt iterum ſe curare, & quandoque rurſus ad congreſſum venit.

Non ſunt mala malis retalianda.

Deinde dicimus: *Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat.* Non ſolùm *perſequatur*, ſed etiam *comprehendat*, ut ſimus eius mancipia, & in re qualibet omninò ſuccumbamus, & nos deſtruat, ſi reddiderimus retribuentibus nobis mala. Et non tantùm hoc oramus, ſed etiam ut *conculcet in terram vitam noſtram.* Quid eſt vita noſtra? Vita noſtra ſunt virtutes, & optamus conculcari in terram vitam noſtram, ut quis totus evadat terrenus, totam ſuam cogitationem habens defixam in terram: *Et gloriam meam in pulverem deducat.* Quid autem eſt gloria noſtra, niſi cognitio quæ per ſanctorum mandatorum obſervationem animæ innaſcitur? Hoc igitur dicimus, ut faciat gloriam noſtram, ut ait Apoſtolus, in noſtram confuſionem; & ipſam in pulverem deducat, faciatque vitam & gloriam noſtram terrenam, ut nihil ſecundùm Deum

Phil. 3. 19.

ſapia-

sapiamus, sed omnia corporalia, omnia carnalia, sicut illi, de quibus dicebat Deus: *Non permanebit spiritus meus in hominibus his, quia carnes sunt.* Ecce hæc omnia dum psallimus, nobis ipsis imprecamur, si reddiderimus malum pro malo. Et quanta reddimus mala pro malis, & non curamus; sed promiscuè agimus. Gen. 6. 3.

Contingit autem ut quis malum pro malo reddat, non solum opere, sed etiam verbo & gestu: & aliquis quidem videtur opere non reddere malum, invenitur autem verbo, sicut dixi, aut etiam gestu reddere. Accidit enim ut quandoque gestum, aut motum, aut aspectum aliquem edat, quo fratrem suum conturbet. Potest enim quis etiam aspectu aut motu fratrem suum offendere, quod item est malum pro malo reddere. *Quot modis malum pro malo reddatur.*

Alius neque opere, neque verbo, neque gestu, neque motu, malum pro malo reddere studet; sed habet mœrorem in corde suo adversus fratrem suum, & adversus ipsum exacerbatur. Videte quãtum hi status inter se differant.

Alius nullam habet adversus fratrem suum tristitiam: si tamen audierit quòd illum quis afflixerit, vel quispiam aliquando contra ipsum murmuraverit, aut ipsum convitiatus fuerit, continuò gaudet hoc audire, & invenitur hoc modo reddere malum pro malo in corde suo. *Diversi gradus memoriæ iniuriarum.*

Alius nec in se malignitatem fovet, neque gaudet audire contumeliam ad-

versus eum qui ipsum afflixerat, verùm etiam affligitur, si is afflictus fuerit, non tamen libenter habet, si illi benè sit; sed tristatur si illum honore & quiete frui viderit. Et hæc quoq; species est memoriæ tenacis iniuriarum, levior tamen ceteris.

Desiderat item aliquis quietem fratris sui, omniaque facere ad obsequium eius, & quidlibet ad commodum & pacem eius referre satagit. Diximus autem initio sermonis, accidere nonnumquam, ut quis edat signum pœnitentiæ, in se tamen mœrorem aliquem adversus ipsum fovere perseveret: & dicimus eum, qui signum pœnitentiæ exhibuit, per hoc quidem iram sedasse, sed adversus memoriam iniuriarum nondum decertasse.

Est & alius qui si ab aliquo fuerit offensus, & exhibito pœnitentiæ signo sibi invicem reconciliati fuerint, pacem quidem cum eo habet, nec ullam de illo mali memoriam in corde fovet, sin verò post dies aliquot contigerit ab eodem in se dici quidpiam quo pungatur, incipit etiam priorum meminisse, & non tantum propter posteriora, sed etiam priora turbari. Hic similis est homini vulnerato, & emplastrum adhibenti quo vulnus quidem curatum & cicatrix obducta sit, locus tamen ipse vulneris adhuc debilior remanserit, ita ut si quando quis lapidem in illum coniecerit, locus iste toto corpore reliquo facilius lædatur, & illicò incipiat sanguinem emittere. Idem

Comparatio vulnerati, & offensi.

etiam

etiam huic accidit: vulnus habuit, & emplastrum apposuit, quod est pœnitentia, tandemque vulnus (id est, iram) curavit, sicut & primus. Cœpit etiam sollicitus esse de memoria iniuriarum curanda, studendo nullam omninò malam memoriam in corde suo retinere. (Hoc enim est vulneri cicatricem obducere) nondum tamen perfectè abolevit, sed residuas habet adhuc reliquias memoriæ injuriarum, quæ est cicatrix ex qua facile totum vulnus recrudescit, quando corpus vel exiguam plagam acceperit. Debet igitur certare, ut etiam cicatricem perfectè aboleat, adeo ut etiam locus iste crinescat, neque deformitas ulla relinquatur, nec omninò advertatur in loco isto vulnus extitisse.

Quonam autem pacto rectè id præstari potest? Vtique orando ex toto corde pro eo qui irrogat afflictionem, & dicẽdo: Deus auxiliare fratri meo, & mihi per eius preces: & sic pro fratre suo preces fundens, condolentiæ, & charitatis, præbet argumentum; nec non humiliatur dum per preces eius auxilium postulat. Vbi autem commiseratio, & charitas, & humilitas est, quid possit furor, aut iniuriarum memoria, aut alia quævis passio efficere? quemadmodum dicebat Abbas Zosimas: quod si diabolus universas malitiæ suæ machinas una cum omnibus dæmonibus moveret, omnes ejus versutiæ cassæ euaderent, & *Vera reconciliationis signum.*

ab humilitate præcepti Christi contererentur.

Qui orat pro inimicis numquã erit iracundus.

Dixit porro & alius senex, eum qui orat pro inimicis immemorem fore iniuriarum. Operamini igitur, & rectè intelligite quæ audivistis. Reverà enim hæc ita sese habent, ut nisi ea opere exercueritis, sermone haudquaquam comprehendere possitis. Quis homo volens artem addiscere, solo sermone illam consequitur? Primùm utique operi incessanter incumbit, & sine distractione inhæret, faciendo & delendo, atque ita paulatim laborando ac perseverando addiscit artem, Deo laborem & propositum eius intuente, ipsique cooperante. Nos autem artem artium solo sermone comparare velimus, operi minimè intenti? Quo pacto id fieri possit? Attendamus igitur fratres nobis ipsis, & studiosè strenuèque operemur, dum adhuc tempus habemus. Deus det nobis meminisse & servare quæ audimus, ne in judicium nostrum cedant in die judicij.

Artes usu discuntur, nõ verbo solo.

Notæ Corderi.

Ira vocatur dæmõ, & cur?

a SI *quis iram superaverit, hunc dæmones superasse.*] Ira enim in arcano Dei sermone *dæmon* nominatur, uti Procopius in lib. 2. Regum cap. 24. animadvertit. Quod sine dubio vidit S. Chrysostomus, & fortè ex eodem fonte hauriens, in eam rem multa eloquenter gravissimèque disputat.

ſputat ſerm.46.de diverſis: *Ira*, inquit, *voluntarius dæmon, inſania ſpontanea, mentis eſt defectio: qui iraſcitur diaboli ludibrium eſt, dæmonum officina, & nequitiæ illorum dignus miniſter*, &c. ubi aliquantò poſt ſuis coloribus deſcribit iratos, tabulamque exponit ingenioſiſſimè pictam, de fœda re longè pulcherrimam, & animi luminibus dignam, quo Lectorem remitto. NOTÆ CORDERII.

b Furor enim (ut S. Baſilius ait) eſt ebullitio ſanguinis circa cor.] Hæc eſt medica ratio, prompta ex eo, quod ut plurimum in iracundiæ motu evenit. Anima enim ad functiones omnes ſuas in corpore duobus primis inſtrumentis utitur, ſpiritu & ſanguine, & calore utriuſque. Quorum motiones notari facilè poſſunt in iis, quæ animalia pathemata vocant Medici, cuiuſmodi ſunt timor, & ira. Nam per timorem ſpiritus & ſanguinis intrò in ipſum fontem ſuum reducuntur, & contrahuntur: quò fit, ut partes in ſuperficie poſitæ frigidæ maneant ſuo calore deſtitutæ: per iram autem & diſtenduntur, & effunduntur, & caleſcunt. Eſt ergo iracundia quidam ardor & motus animoſæ facultatis, in quo primùm intùs accenduntur ſanguis & ſpiritus, deinde effunduntur, ac totum corpus inflammant, adeò ut ſæpè gignant febres, æſtuſque morborum. Et quidem in communi uſu de iracundia morbus dicitur, & morboſi olim nominabantur iracundi, ut optimus auctor monet Tullius lib. 4. *Phyſica ratio iræ.*

NOTÆ CORDERI

Tusculanarum ita scribens : *Benè igitur nostri cùm omnia essent in morbis vitia, quòd nullum erat iracundiâ fœdius, iracundos solos morbosos nominarunt.*

Odium est soboles iracundiæ.

c Ira si diu perseveraverit, fit iniuriarum tenax memoria.] Hinc perennè odium, inauspicata soboles iracundiæ, quæ dies atque noctes animum excruciat exeditque siquidem *Ira mater est odij*, inquit Salvianus lib. 2. de gubernatione. Hæc mille fora struit, in quibus cum eo litiget, à quo se putat accepisse injuriam: illîc & chimeras videt, & hippocentauros, & tragœdiorum figmenta, barbaras ultiones, vitæ funestrum exitum, mera somnia: & fictas audit voces disceptantis inimici, & respondet, & connititur, & ardet, & spolia de victo legit, & mero in inani triumphat. Tum quasi evigilans, nihil se videt consecutum, nisi Ixioneum velut in rota laborem, acerbum molestiæ fructum horas malè collocatas. In eo verò statu, quid boni efficere potest, aut Deo gratum, aut sibi utile, aliísve dulce ac jucundum.

Mira Davidis mansuetudo.

d Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c.] Hoc Davidis insignem mansuetudinem commendat, quòd ab iis, in quos maxima beneficia contulerat, iniuriis affectus non tamen ipsos ultus sit, sed juxtà Euangelicum præceptum pro persequentibus oraverit, quod certè maximam tribuit fiduciam Deum obsecranti, & efficacissima dispositio est ad quidlibet ab eo

Matt. 5. 44.

impe-

impetrandum. Vnde S. Auguſtinus ſuo more peracutè locum iſtum expendit his verbis *Non ait ſi reddidi tribuentibus, ſed retribuentibus. Qui enim retribuit, jam aliquid acceperat. Majoris autem patientiæ eſt, nec ei mala rependere, qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quàm ſi nullo accepto beneficio nocere voluiſſet.* Neſcit vir iuſtus ulciſci, patitur æquo animo inimicos, libenter parcit nocentibus. Novit enim magnum ſibi patientiæ emolumentum evenire. Diteſcit quippè vir iuſtus, patienſque inter inimicos, ſicut illa Domini arca, cùm inter Philiſtæos capta teneretur, mirum in modum auro gemmiſque locupletata & ornata fuit. Hoc ergò ſenſu David: Si umquam ultus me ſum, inquit, exeam vacuus, indignus, ſine ullo meritorum lucro. Nec maius enim mihi damnum eveniet, aut etiam maledictio. Plura vide à nobis ad dictum Davidis locum annotata in Expoſitione Patrum Græcorum in Pſalmos.

NOTÆ CORDERI

Vir iuſtus ulciſci neſcit.

1. Reg. 6.

INSTITVTIO IX.

DE MENDACIO.

VOlo vos fratres paucis de mendacio commonefacere, quoniam video vos non admodum linguæ custodiendæ studiosos, ex quo facilis est in multa lapsus. Videte fratres mei, in omni opere, ut assiduè vobis inculco, consuetudinem esse, tam ad bonum, quàm ad malum. Multâ igitur opus est vigilantiâ, ne à mendacio decipiamur. Nullus enim mēdax unitur Deo. Alienum est à Deo mendacium. Scriptum est enim: Quoniam mendacium à maligno est. Item: *quia mendax est & pater ejus* Ecce patrem mendacij diabolum vocat. Veritas autem est Deus. Ipse enim ait: *Ego sum via, veritas, & vita.* Videte à quo nosmetipsos separemus, & cui per mendacium adglutinemur? certum est, quòd diabolo. Si igitur verè salvari cupimus, debemus totis viribus omniq́ue studio diligere veritatem, & nobisipsis ab omni mendacio cavere, ne nos à veritate, vitaq́ue separaret.

Mendacium omni modo fugiendum.

Ioann. 8. 44.

Ioan. 14. 9.

Tres mēdacij differentiæ.

Sunt autem mendacij differentiæ tres. Est enim qui animo, est & qui verbo, est denique qui & ipsâ vitâ suâ mentiatur. Qui mentitur animo, admittit suspiciones. Si hic viderit quempiam cùm fratre suo loquentem, suspiciatur, & ait: De me loquuntur; si colloquium abruperint,

iterum

iterum suspicatur, sui causâ abrupisse. Si quis verbulum dixerit, id ad se lædendum dixisse suspicatur: & absolutè in re qualibet, de proximo suo sic loquitur, dicens: propter me hoc fecit, propter me hoc dixit; propter hoc & illud fecit. Hic est animo mendax. Nihil enim veri dicit, sed omnia ex suspicione.

Ex suspicione multa mala oriuntur.

Ceterùm hinc existunt curiositates, distractiones, murmurationes, contentiones, condemnationes. Nonnumquam autem accidit, ut quis aliquid suspicetur, quod ex eventu rerum inveniatur, & quasi ex hoc semetipsum corrigere volens, curiosè agat, ac secum ratiocinando, dicat: Quia si contra me loquatur quispiam, video quis sit lapsus meus, in quo me reprehendit, & memetipsum corrigo. Atqui primùm, hoc ipsum principium à maligno est. Nam per mendacium incepit, & ignorans suspicatus est id quod non sciebat. Quomodo igitur potest arbor mala bonos fructus facere? Si autem omninò velit corrigi: quando frater ipsi dixerit: ne hoc feceris: vel, cur hoc fecisti? minimè turbetur, sed petat veniam, illique gratias agat: tunc emendabitur. Et si Deus istiusmodi propositum eius adverterit, haudquaquam permittet eum errare; sed omninò mittet illi aliquem qui dirigat eum & corrigat. Dicere verò, ut corrigar suspicionibus meis credo, & deinceps non obedire, curioseque agere, iustificatio est diaboli insidias molientis. Quon-

Signa desiderij emendationis.

S. Dorotheus suspiciones suas Abbati revelat.

Quondam cùm essem in cœnobio, tentabar ut ex motu hominis statum ejus perciperem. Occurrit itaque mihi res huiuscemodi. Quadam vice dum subsisterem, transibat mulier quædam gestans hydriam aquæ, ac nescio quo pacto correptus ad oculos eius attendi, statimque suggerit mihi cogitatio, scortum esse. Vt igitur hoc mihi cogitatio suggessit, valdè affligebar, remque seniori Abbati Ioanni manifesto, dicens: Domine, si nolens video motum alicuius, & cogitatio suggerit mihi statum eius, quid facto opus est? Responditque mihi senex in hunc modum. Quid igitur? Numquid accidit nonnumquam, ut quis habeat defectum naturalem, & per certamen illum corrigat? Haudquaquam indè licet statum cuiusquam cognoscere, numquam igitur credas suspicionibus tuis. Regula enim obliqua, etiam quæ recta sunt, obliquat. mendaces sunt suspiciones, & damnum adferunt. Ex eo tempore si mihi cogitatio mea dixisset solem esse solem, vel tenebras esse tenebras; vix illi credidissem. Nihil gravius est suspicionibus, quæ adeò noxiæ sunt, ut si in nobis aliquantulum hæserint, incipiant nobis persuadere, & efficaciter probare nos videre ea quæ neque sunt, neque fieri possunt.

Suspicioni non est credendum.

De hoc argumento, rem vobis narro prorsus admirabilem, quam ego assecutus sum, cùm adhuc in cœnobio versarer. Fratrem quemdam illic habebamus istâ passione

ſione valdè exagitatum, qui ſuſpicionibus propriis tantam fidem adhibebat, ut illi à qualibet ſuſpicione ſua prorſus perſuaderetur, rem omninò ita ſe habere, prout cogitatio ejus illam depingebat, neque aliter fieri poſſe. Tempore igitur ſuccreſcente malo, iſtiuſmodi errorem illi dæmones impoſuerunt. Cùm is quadam vice hortum ſpeculandi causâ ingreſſus eſſet (eius nempè cuſtos erat) & decipiebatur, ac videre ſibi videbatur fratrem quempiam ficus ſuffurantem & comedentem (erat autem paraſceve, & hora vixdum ſecunda.) ut ergò ſibi perſuaſit, ſe reverà privatim rem vidiſſe, abſcondit ſemetipſum, & ſilens egreditur; obſervatque denuò ſub horam communionis, ut videret quid frater iſte in communione ageret, utporè qui ficus ſuffuratus eſſet ac comediſſet. Atqui cùm videret ipſum manus abluentem, ut ad communionem accederet, accurrit ad Abbatem, eique dicit: ecce quo ingreditur frater iſte ad ſacram communionem una cum fratribus ſumendam; verumtamen prohibe illam ipſi dari: ego enim vidi ipſum mane ficus ex horto ſurripientem ac comedentem. *Exemplum cuiuſdam fratris ſuſpicacis.*

Intereà frater ille cum magna compunctione ad ſacram oblationem ingreditur, (erat enim valdè pius.) Vt igitur vidit eum Abbas, vocat ipſum priuſquam ad ſacerdotem communicantem accederet: atque accipit eum ſeorſum, dicitque illi: dic mihi frater, quid eſt quod hodie feciſti? *Suſpicioſi turpiter falluntur.*

fecisti? ille obstupuit, ac petiit ab eo: ubi Domine? Cui Abbas: quando hodie mane in hortum intrasti, quid ibi egisti? Tum frater quasi attonitus iterum ait: Domine neque vidi hortum hodie, neque mane hîc eram in cœnobio, sed modò ecce recens veni de via. Mox enim ut vigilias absolveram, b misit me œconomus ad tale negotium. Res autem ista de qua agebat, multis inde milliaribus distabat, & sub ipsam horam communionis frater ille recens advenerat. Abbas deinde œconomum accersit, eumque rogat: quò misisti hunc fratrem? Cui respondet œconomus, idem quod frater dixerat; quoniam ad talem pagum ipsum misi, petitque veniam dicens: Ignosce Domine, quia à vigiliis quiescebas, & idcircò non permisi ipsum accipere à te dimissionem.

Frater suspiciosus acriter reprehenditur.

Abbas igitur [de re tota] certior factus, dimisit eos ut accederent ad communionem: vocatque fratrem suspicionibus laborantem, ipsumque increpat, & arcet aditu sacræ communionis. Neque solùm hoc; verùm etiam omnibus monachis post communionem congregatis, rem totam ut contigerat, cum lacrimis narravit, & fratrem istum coram omnibus publicè confudit. Tria ex hoc efficiens, ut scilicet diabolus confunderetur, & suspicionum seminator traduceretur, atque per illam ignominiam peccatum fratris condonaretur, & in futurum à

Deo

Deo auxilium acciperet, ceterique fratres evaderent cautiores, neque nos umquam propriis credere ſuſpicionibus præſumeremus, multis ergò hac de re nos, & fratrem hortatus, aiebat nihil eſſe perniciosius ſuſpicionibus, idque præſenti exemplo commonſtrabat.

Alia quoque ſimilia Patres exellenter dixerunt, contra ſuſpicionum detrimenta nos munientes. Omnibus igitur viribus noſtris id ſatagamus, ne umquam propriis ſuſpicionibus fidem adhibeamus. Nihil enim æquè removet hominem à Deo, efficitque ut peccatis propriis minimè attendat, quàm ſi curiosè ſemper inquirat ea quæ ad ſe non pertinent. Atqui hinc nullum bonum, ſed infinitæ afflictiones promanant, nec umquam homo vacat timori divino adipiſcendo. Quod ſi igitur per malitiam noſtram pravæ in nobis ſuſpiciones fuerint ſeminatæ, ſtatim eas in bonam opinionem convertamus & minimè nos lædent. Suſpiciones enim pravæ ſunt; nec umquam ſinunt animum quieſcere. Ecce hoc eſt mendacium mentale.

Suſpiciones ſtatim reijcienda.

Sermone autem quis mendax eſt, quando v.g. quis pigreſcit ſurgere ad vigilias, & non dicit: Ignoſce mihi, quòd piger fuerim ad ſurgendum, ſed ait: febricitavi, vertigine laboravi, non potui ſurgere, debilis eram; & mentitur decies, ne vel ſemel fateatur culpam, & humilietur. Quod ſi quis ipſum in re quapiam

Excuſationes mendacijs palliatæ.

piam reprehenderit, verba eius contumaciter retorquere pergit, & altercari, ne ferat eius reprehensionem. Similiter si contigerit ipsum habere verba cum fratre suo, non cessat causari ac dicere: sed tu dixisti, sed tu fecisti: at ego non dixi, sed ille dixit: sed hoc, sed illud: tantùm ne humilietur. Rursus si rem quampiam concupiverit, non sustinet dicere: Hoc desidero; sed circuitionibus utitur, dicens: hoc patior, & hac re mihi opus est: vel isti rei obnoxius sum, & plurima dicit mendacia, donec concupiscentiam suam expleat.

Peccati & mendacij radices.

Omne enim peccatum, vel ob voluptatem, vel ob avaritiam, vel ob inanem gloriam committitur. Similiter & mendacium ex his tribus nascitur. Vel enim mentitur quis ne reprehendatur & humilietur, vel ut voluntatem perficiat, vel ut aliquid lucretur. neque cessat se huc vel illuc vertere, omniaque molitur, ut quid afferat, quo scopum suum assequatur. Tali nunquam credendum est. Imò si & verbum aliquod verum dixerit, nemo illi potest credere: nam & veritas eius dubia invenitur.

Interdum verò alicuius rei necessitas incumbit, quam nisi quis parumper occultaverit res ad majorem perturbationem & afflictionem vergit. Quando igitur istiusmodi circumstantia inciderit, & viderit homo se istiusmodi necessitate coactum, tunc poterit mutare verbum,

ne, ſicut dixi, maior turbatio & afflictio, aut periculum eveniat. Quemadmodum dixit Abbas Alonius Abbati Agathoni: Ecce, inquit, duo viri apud te cædem commiſerunt, & unus fugit in cellam tuam, & ecce Princeps quærit eum, atque te interrogat, dicens: Cædéſne apud te facta eſt? niſi prudenter te geſſeris, hominem illum ad mortem tradis. Quando igitur magna quædam neceſſitas ingruerit, neque tunc quis ſui curam deponere debet, ſed pœnitendum & lugendum coram Deo, ac tale tempus velut tentationis habendum, neque id continuò, ſed ſemel elapſo multo tempore agendum: quemadmodum enim theriaca atque purgatio, quando frequenter ſumuntur, lædunt; ſi quis verò illa ſemel tempore magnæ neceſſitatis acceperit, ipſi proſunt. Pari modo hâc re quis uti debet: ut ſi quid ob neceſſitatem variare voluerit, non frequenter id fiat; ſed ſemel elapſo longo tempore, ſi viderit, ut dixi, magnam neceſſitatem, & tunc opportunè cum timore ac tremore, Deo animi ſui propoſitum ac neceſſitatem exponat, & ſic protegetur; quoniam aliàs etiam iſto tempore læditur.

Liceátne aliquando ambiguè loqui, & verba cõmutare?

Ecce diximus, quis mente, quis item verbo mendax ſit: volumus deinceps dicere, quis etiam in vitam ſuam mendax ſit. Mentitur quis in vitam ſuam, quando laſcivus cùm ſit, ſimulat continentiam, aut cùm avarus ſit, loquitur de eleëmo-

Hypocrita mentitur in vitam suã.

syna, laudatque commiserationem; vel cùm superbus sit, humilitatem admiratur. Hic non quasi virtutem laudare velit, ipsam admiratur; si enim hoc fine id diceret: primùm cum humilitate confiteretur propriam infirmitatem dicens: heu misero mihi, quoniam omni bono privatus sum! Et sic postquam propriam infirmitatem confessus fuisset, tunc demum admirari potuisset, ac laudare virtutem. sed neque hoc fine virtutem laudat, ne quempiam scandalizet. Debuerat enim sic ratiocinari, ego sanè miser sum & passionibus obnoxius: quare etiam alium scandalizo? Quare alterius animam lædo, atque mihi ipsi alienum etiam onus impono? Ita fateretur peccatum, quod in alterum commisit, non in bono proprio gloriaretur. Humilitatis enim est, semetipsum miserum censere; & commiserationis est, proximo parcere. Ceterùm talis (ut dixi) secundùm nullum dictorum modorum virtutem admiratur, sed ut propriam turpitudinem tegat, assumit nomen virtutis, & de ea loquitur, ac si ipse talis esset, aut sæpè etiam ut lædat, & aliquem alliciat. Nulla enim malitia, neque ulla hæresis, neque ipse diabolus potest quemquam decipere, nisi fingendo virtutem, quemadmodum Apostolus ait: *Ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis.* Haud igitur magnum si & ministri eius, transfigurant se in ministros iustitiæ. Sic igitur & mendax, sive timuerit ignominiam, ne hu-

Humilitatis est suam miseriam confiteri.

Diabolus fallere non potest. nisi specie virtutis.

2. Cor. 11. 14

m ilie-

milietur; sive, (ut diximus) quempiam allicere ac decipere voluerit, loquitur de virtutibus; easque laudat & admiratur, ac si ipsius propriæ forent, earumque cœpisset experimentum. Hic est qui in ipsammet vitá suam mendax est. Hic non est homo simplex, sed duplex; alius est interiùs, & alius exteriùs. Duplicem is agit vitam, totamque ridiculam. *Hypocrita vita duplex & ridicula est.*

Ecce diximus de mendacio quod à malo sit, diximus etiam de veritate, quia Deus veritas est. Fugiamus igitur mendacium, fratres, ut liberemur ex parte inimici, atque veritatem obtinere contẽdamus, ut uniamur illi qui ait *Ego sum veritas*. Deus nos suâ veritate dignos efficiat. Ioan. 14.

NOTÆ CORDERI.

a HAc Institutione mendacium, quod trifariam dividit, tamquã summum malum, omni studio fugiendum monet; quippè cuius parens & auctor est fons malorum satan, quem in Euangelio Christus mendacij patrem nominavit. Itaque in divinis litteris stylo arcano, *Idolum*, *dæmon*, *mendacium*, idem sunt, uno & eodem vocabulo nominantur. Illius satu vitiorum densa seges pullulat, quæ sementem gratiæ penitùs suffocat. Nam *os quod mentitur*, inquit Sapiens, *occidit animam*. Quod Eusebius Gallicanus exhorrescens & vehementissimè demirans in exhortatione ad plebem: *Animam*, inquit, *Diabolus pater mendacij.* Sap. 1. 11. *Mendacium animam occidit.*

NOTÆ CORDERI

quit, *penetrat, & novo volentiæ genere infert ei mortem, quam n.n potest facere mortalem.* Valerianus quoque Cemelienſis Hom. 5. ait eleganter, *ſæpè verborum vulnera mortes operari.* Sed divinè Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. 17. dicit, *verbum ſerpentis ſive dæmonis eſſe ædificatorium mortis, verbum autem Dei extructorium vitæ.* Abſit verò, ut ullius pij viri ſermo mendacij veneno litus, ædificet mortem, qui non niſi auram Dei, & animæ vitam ſpirare debet. Abſit, inquam, ut filij lucis, & domeſtici Dei, de familia ſatanæ eſſe videantur, quales ij, quibus exprobat in Euangelio Chriſtus: *Vos ex patre diabolo eſtis. Cùm loquitur mendacium ex proprio loquitur, &c.*

Ioan. 8. 44.

b Miſit me œconomus ad tale negotium.] In Græco eſt: Ἔπεμψέ με ὁ οἰκονόμος εἰς τήνδε τὴν ἀπόκρισιν. Vbi non intellexit vetus Interpres ἀπόκρισιν ſumi pro monaſterij negotio, ac proindè tamquam ignotum hominem præteriit, aut malè interpretatur. ut Inſtitutione quarta, ἐὰν εὑρεθῇ τις ἐξ ὑμῶν ἔχων οἵαν δήποτε ἀπόκρισιν, εἴτε πρὸς τὸν κηπουρὸν &c. quod vertit: *Fueritq́ue neceſſe quidpiam reſpondere olitori, &c.* Sed perſpicuum eſt ἔχειν ἀπόκρισιν ibi ſignificare, *habere negotium*, vel tractandum quidpiam cum alio. Sic Inſtitutione primâ circa finem Dorotheus τὸν ποιοῦντα ἀπόκρισιν vocat *negotium conficientem*, ſignificans apocriſiarium, aut procuratorem. Hinc acta Seniorum, & veterum Patrum monumenta Græcis prodita litteris, Latinè

ἀπόκρισις *quid ſignificet apud Dorotheum?*

tinè reddiderunt, cùm minùs ad hoc animum judiciumque attenderent, ἀπόκρισιν verterunt *responsum* cùm *negotium*, *rei procurationem*, aut aliquid simile debuissent, & crucem fixerunt, in qua doctissimorum hominum ingenia torquerentur. Comprobatur idipsum exemplo è Ioanne Moscho cap. 105. deprompto, ubi memorat quemdam de Monachis fuisse missum ad cœnobij res curandas, qui cùm vellet religionis causâ in vicinum templum divertere, ad pretiosam crucem venerandam, dæmon impedire voluit, illique in sacro limine hærenti diversæ cogitationes obiectæ sunt, quarum una, inquit, dicebat: *Ingredere, adora pretiosam crucem: alia contrà, Non, sed vade, & fac responsum, & aliâ vice adorabis.* Hic locus quem eruditissimi viri obscurum & mendosum esse putaverunt, fit hac animadversione clarissimus. Erat enim in Græco ποίει ἀπόκρισιν, quod vertit: *fac responsum*, cùm verti debuisset: *confice negotium tibi iniunctum, & alias adorabis.* Hæc verissima istius loci sententia. Quo eodem modo & illud intelligendum est cap. 205. eiusdem libri, de misso monacho *pro responsis cœnobij*. ubi responsa nihil aliud sunt, quàm negotia, & res administrandæ. Huc etiam referendus est perobscurus ille locus lib. 5. de Vitis Patrum ubi de fure monacho: Arsenius dicit ei *Quidquid vis ego tibi dabo, tantùm non rapias: & dedit ei aurum, & nummos, & rescellas: & omne quod in responso*

Notæ Corderi

NOTÆ CORDERI *suo habebat dedit ei.* Quid enimverò *in responso suo?* In Græco sine dubio fuit ἀπέχειαις, & *responsum* hìc significat quidquid Arsenij curationi & administrationi subjectum fuit, & de quo potuit disponere. Nec aliâ ratione explicandus es D. Gregorij Magni locus in vita S. Benedicti cap. 12. *Quoties ad responsum aliquod egrederetur,* &c. & verò Zacharias Pontifex, qui vitam illam Græcè reddidit *responsum* peritè διακονίαν, *opus, negotium, ministerium.*

c *Mentitur quis in vitam suam,* &c.] Hinc usque ad finem graphicè depingit hypocritas, qui in Apocalypsi D. Ioannis symbolicè describuntur equi pallidi effigie, in quo mors inequitet, ut volunt Hugo Cardinalis, Richardus à S. Victore, alijque, pallidumque volunt dictum, horridiorem, exhaustum, debilitatum, non lætum & nitentem, ob labores quos sustinent in simulanda sanctimonia. Apud D. Paulum dicuntur *in hypocrisi loquentes mendacium, & cauteriatam habere conscientiam,* videlicet afflictam, & igneo ardore vexatam, qui patientissimè notas à dæmone impressas, doloresque magnos pro nihilo ferant, & tetro ardore puteant. Quæ stultitia est, atque impiæ mentis error, sustinere gravia nullo lucro, nisi ut pœnam fœnereris, religionem adhibere ad conculcandam religionem, virtute abuti in ipsius virtutis opprobrium, adhibere divinum cultum in contumeliá sanctissimi Numinis, artificio malitię bonum

Apoc. 6. Hypocritæ mentiuntur in vitam suã

1. Tim. 4. 2

num velle videri? Illudunt impiam illam vecordiam Patres, & miserantur. S. Petrus cognomento Chrysologus serm. 7. vocat *pestilentiam, quæ de remedijs creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen.* Vbi etiam eleganter hypocrisin nominat, *virtutum fucum, tineam sanctitatis, quæ crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum, ieiunium ieiunio perimit, oratione orationẽ evacuat,* &c.

NOTÆ CORDERI

INSTITVTIO X.

DE PROCEDENDO IN VIA DEI.

FRatres nostrum ipsorum curam habeamus, invigilemus nobis. *a* Quis dabit nobis hoc tempus, si ipsum perdiderimus? utique quæremus hos dies & non inveniemus eos. Abbas Arsenius sibi ipse assiduè inculcabat. Arseni quare exivisti? Nos tam perditè socordes sumus, ut neque sciamus, quare exiverimus; neque intelligamus quid sit, quod voluerimus: quapropter non solùm non proficimus, sed & semper affligimur. Hoc autem nobis accidit ex eo quòd cordi nostro minimè attendamus. Et reverà si vel modicum contendere vellemus, non tam multum affligeremur, aut laboraremus. Etsi enim quis in principio sibi ipsi vim adferat, paulatim tamen certans, paulatim proficit, ac tandem cum tranquillitate

a Temporis iactura incredibilis.

Pugnandum nobiscum, ut pacem in nobis habeamus.

litate agit, Deo ipsi auxilium præbente, simul ac viderit quòd sibi ipsi vim inferat.

Et nos igitur nobismetipsis vim faciamus, iaciamus bonum initium, velimus denique bonum, nam licet nondum sumus in statu perfectionis; ipsum tamen velle, principium salutis nobis est. Quoniam ex isto velle, adjuvante Deo progredimur etiam ad certandum, atque ex eo quòd quis certat, adiuvatur, ut virtutes acquirat. Idcircò quidam Patrum ait: da sanguinem, & accipe spiritum, id est, viriliter certa, & habitum virtutis acquires.

Bona voluntas est initiũ salutis.

Quando litteris vacabam externæ disciplinæ, sub initium valdè laborabam, cumque incipiebam capere librum, non secus me habebam, atque aliquis qui accedit ad tangendam feram. Vt igitur perseveravi mihi ipsi vim adferre, adjuvit me Deus, & talem studendi habitum contraxi, ut etiam nescirem quid comederem, vel quid biberem, vel quomodo dormirem præ ardore studiorum. Neque quisquam amicorum meorum umquam ad prandium me allicere valuit; sed neque umquam lectionis tempore, ad consortium eius accessi, quantumvis societatis amans essem, & socios meos diligerem. Cùm igitur nos Sophista dimisisset & me abluissem (indigebam enim quotidianâ lotione, quoniam ob nimiam lectionum assiduitatem exsiccabar) concedebam ad meam mansionem, nesciens quid

Beati Dorothei ardor in studijs.

quid mihi esset comedendum, non poteram enim vacare vel præparandis cibis: habebam tamen fidum quemdam amicum, qui mihi parabat si quid voluissem. Accipiebam igitur quidquid ab eo præparatum invenissem: habens & librum meum ad sinistram in grabato, & paulatim in ipsum inclinabam & cùm dormirem similiter habebam ipsum in sede mea, & cùm parùm somni cepissem, exiliebam illicò ad lectionē. Rursus vesperi cùm ad lucernæ lumen discederem, accendebam lampadem & ad mediam usq; noctem lectioni incumbebam, & sic affectus eram, ut ex nulla re alia, nisi ex lectionibus caperem voluptatem. Quando igitur veni ad monasterium, mihimetipsi dictitabam: si cui tantus sit ad externam eloquentiam affectus, tantusque legendi ardor ut habitum scientiæ consequatur, quantò magis pro virtute laborandum? Atque ex hac re magnas vires capiebam. Sic si quis virtutem comparare voluerit, *b* non debet distrahi, nec animo vagari. Sicut enim si quis fabrilem addiscere voluerit, non attendit alteri arti; eodem modo se res habet cum iis qui aspirant ad functionem aliquam spiritualem. Hi minimè debent alteri rei cuipiam attendere, sed nocte ac die meditari in ipsa quomodo eius compotes fieri valeāt. Qui autem hoc modo rem istam non aggrediuntur, non tantùm non proficiunt, sed etiam conteruntur, ita temerè circumacti,

Virtutis studium requirit diligentiam.

b

cumacti. Nisi enim quis vigilaverit, & certaverit, facilè exorbitat in virtutum transgressiones.

Virtutis via regia est. Virtutes enim mediæ sunt, & via regia de qua dicebat sanctus ille senex: Viâ regiâ incedite, & milliaria mensurate. Virtutes igitur mediæ sunt inter excessus ac defectus. Idcircò scriptum est: ne declines ad dexteram, neque ad sinistram, sed viâ regiâ incedito. Et S. Basilius ait: Rectus corde est qui non habet cogitationem declinantem, neque ad excessum, neque ad defectum, sed ad medium virtututis dirigitur.

Deut. 17. Isa. 30. 21.

c. Malitia quid sit, & unde existat. Dico exempli gratia, c Malitia per se nihil est. Neque enim substantia est, neque subsistentiam ullam habet; absit: sed anima cùm à virtute declinat, fit obnoxia passionibus & perficit malitiam, unde & ab illa torquetur, cùm nullam in ipsa naturalem quietem reperiat.

Quemadmodum enim v. g. lignum non habet intra se vermem, sed putredinem quamdam gignit, ex qua putredine deinde vermis nascitur, qui lignum illud exedit. Similiter & æs rubiginem ex se gignit, à qua vice versâ consumitur. Vestes quoque tineam ex se gignunt quæ & ipsas, è quibus nascitur, vestes corrumpit. Ad hunc igitur modum anima ipsa ex se malitiam gignit, quæ anteà non erat, nec ullam, ut dixi, habebat subsistentiam, ipsaque à malitia torquetur.

Vnde præclarè ait D. Gregorius Nazian-

zianzenus: ignis materiæ seu ligni germen est, & ipsam materiam, veluti malitia malos, consumit. Id quod etiam in ægrotantium corporibus licet invenire; veluti cùm quispiam intemperanter se gerit, neque novit valetudinem gubernare, redundantia quædam oritur, aut defectio humorum, unde existit illa inæqualitas; quamobrem antehac nullibi erat ægritudo, nec quidquam tamdem erat. Ac rursus, simul atque corpus benè valet, nulla quoque reperitur ægritudo, neque quidquam est. Similiter etiam malitia est ægritudo animæ, propria sua naturalique sanitate, quæ virtus est, privatæ.

Quapropter virtutes diximus esse medias. v.g. Fortitudo media est inter timorem, & audaciam. Humilitas media est inter superbiam & humanam complacentiam. Similiter verecundia est media inter pudorem & impudentiam. Eodem modo iuxta proportionem suam & reliquæ virtutes. *Virtus in medio est.*

Itaque si vir aliquis inventus fuerit, qui huiuscemodi virtutibus dignus sit habitus, quàm is pretiosus erit apud Deũ? & quamquam edere, & bibere, ac dormire ut ceteri videatur, ob has tamen virtutes quas habet, in pretio erit. *d* Nisi verò quis advigilaverit, & semetipsum custodiverit, facilè declinat à via sive ad dextram, sive ad sinistram, hoc est, aut *e* ad excessum, aut ad defectum, atque ita gignit ægritudinem, quæ est malitia. *d Lapsus faciendus in extrema.* *e*

Humana vita via similis

Ecce hæc est via regia, quam omnes sancti tenuerunt. Milliaria verò sunt diversi status, quos aliquis debet emetiri semper & inspicere ubinam sit, & quot milliaria iam confecerit, & in quo statu versetur.

Vt exempli gratia quid dicam: Ad eum sane modum omnes nos habemus, sicut qui egressi ab urbe quapiam, scopum habent & propositum eundi ad sanctam civitatem; atque alij quidem peractis quinque milliaribus subsisterunt; alij verò decem confecerunt, alij medium iter peregerunt: alij autem ne iter quidem aggressi sunt omninò, sed egressi quidem ciuitatem, statim præ foribus constiterunt in fœtore loci illius. Qui verò sunt in itinere, interdum quidem ad duo milliaria progrediuntur, sed aberrant & eadem remetiuntur, vel duo conficiunt, & ad quinque reuertuntur: alij autem ad ipsam usque ciuitatem profecti, extra tamen permanserunt nec ingressi sunt in ciuitatem.

Ecce & nos tales sumus. sunt enim aliqui ex nobis qui & mundum dimiserunt, & ad monasterium venerunt, pro scopo habentes virtutum acquisitionem: atque hi quidem cùm parum admodum boni præstitissent, illicò destiterunt. Alij aliquantò plus faciunt: alij medium rei consecuti, cessaverunt: alij nihil prorsus recti gesserunt; sed cùm putarint ex sæculo se exisse, mundi passionibus, & fœti-

fœtori illius adhæserunt. Alij cùm parum quid boni fecerint, rursus illud ipsum dissolvunt: & sunt aliqui, qui plus dissolvunt, quàm boni gesserint. Alij virtutes quidem probè exercuerunt, sed habuerunt superbiam & contemptum proximorum atque extra ciuitatem remanserunt, neque illam ingressi sunt, verumtamen nec ipsi scopum suum attigerunt. Etsi enim pervenerint ad portam ciuitatis; nihilominus foris manserunt, adeò ut etiam ipsi proprio scopo exciderint.

Vnusquisque igitur nostrum discat ubinam sit: num egressus sit propriâ ciuitate, manserit autem extra portam in suburbij fœtore. Num parùm aut multùm promouerit, num ad dimidium viæ peruenerit, num duo milliaria confecerit, & ad totidem retrocesserit; aut ad duo milliaria profectus sit, & ad quinque regressus fuerit: an profectus usque ad ciuitatem, ingressus sit sanctam Jerusalem; utrum ad ciuitatem quidem peruenerit, sed ingredi nón potuerit. Discat unusquisque statum suum in quo sit. *Examinandus quotidie status animæ*

Tres sunt in homine status. Est qui passionem operatur, & est qui eam sistit, & est qui eam eradicat. Qui passionem operatur, est is, qui eam exequitur, qui eam tuetur. Qui verò passionem sistit, est is qui neque eam exequitur, neque eam amputat, sed philosophatur quidem & dissimulat eam, cùm tamen habeat in semetipso passionem. Qui autem eradicat

passionem, est is qui viriliter certat, & facit ea quæ passioni sunt contraria.

Porrò hi tres status magnam habent latitudinem. Verbi gratia, dicite mihi qualemcumque velitis passionem, eamque excutiamus. Vultísne dicamus de fornicatione, aut vultis potius ut dicamus de vana gloria, quandoquidem omninò in ipsa superamur. Ob vanam gloriam non potest quis audire verbum à fratre suo. Hinc fit, ut dum quis unicum audit verbum, perturbetur, & quinque aut etiam decem, pro uno verbo reponat, contendatque ac turbas cieat: cumque quieuerit à contentione, non cessat tamen mala cogitare de eo qui verbum illud protulit, estque memor iniuriarum, & tristatur quòd non plura ipsi dixerit, & coquit secum adhuc verba duriora, quæ ipsi rependat: & sibi jugiter ait: cur illud ipsi non dixi? Possem & hoc ipsi dicere, sicque perpetuò furit.

Inanis gloria radix perturbationum.

En primùm statum, qui mali habitum gerit, à quo liberet nos Deus. Talis enim status omninò obnoxius est punitioni: quia omne peccatũ actuale inferni reum facit. sed nec talis, si voluerit pœnitentiam agere, solus poterit passionem superare, nisi Sanctorum quorumdam ope fulciatur, uti patres quoque monuerunt. Quapropter hortor vos assiduè, ut satagatis exscindere passiones, priusquam in habitum transeant.

Alius est, qui verbum cùm audierit, tur-

turbatur quidem, & rependit etiam ipse quinque aut decem verba pro uno, doletque quòd non triplò pejora addiderit, atque injuriæ recordatur, sed paucos post dies sententiam mutat. Alius per hebdomadam in his moratur, & postmodùm resipiscit; alius per unum diem his inhæret, ac deinde mutatur. Alius conuitiatur, pugnat, turbatur, & turbat: verùm illicò resipiscit. Ecce quot sint statuum differentiæ. Attamen hi omnes in tantum inferno sunt obnoxij, in quantum operantur.

Passiones abscindendæ prius quam in habitum transeant.

Dicamus etiam de his qui passionem cohibent. Interdum quis verbum audit, & affligitur quidem in semetipso; verumtamen non dolet quòd iniuriam passus sit, sed quòd non æquo animo eam tulerit. Hic est de statu certantium, & eorum qui passionem sistunt. Alius decertat, & laborat, sed tamdem superatur, dum passionis ponderi succumbit. Alius non vult quidem malè respondere, sed à consuetudine abripitur. Alius nititur quidem ne penitùs quid mali dicat, tristatur tamen quòd sit affectus iniuriâ, verumtamen reprehendit semetipsum quòd tristetur, & huius rei ipsum pœnitet. Alius non dolet quidem quòd injuriam perpessus sit, at certè non gaudet. Ecce hi omnes passionem sistunt. Hi duo tamen ceteris præstant, qui scilicet superatur in certamine, & qui trahitur nolens à consuetudine ac semetipsum reprehendit quòd injuriam

Passionum mortificatio multiplex.

non tulerit cum gratiarum actione. Reliqui autem versantur in timore periculi operantium. Dixi autem hos esse ex ijs qui cohibent passionem; siquidem iam animi proposito passionem cohibuerunt, & nolunt eam opere complere, sed dolent etiam dum certant.

Ceterùm Patres dixerunt, quidquid anima non vult non esse diuturum. Debent autem excutere semetipsos, ne fortè licet non ipsam passionem, aliquam tamen causam passionis tueantur, & idcircò vincantur & abripiantur. Sunt etiam aliqui qui contendant sistere passionem, sed per passionem. Nam alius quidem silet ob vanam gloriam; alius verò ob humanam complacentiam, aut propter aliam similem passionem. Hi malo malum curant, Dicebat autem Abbas Pastor, malitia malitiam numquam è medio tollit. Hi cum operantibus censentur, quantumuis rideant.

Puritas intentionis adhibenda mortificationi.

Ceterùm volumus aliquid dicere de ijs qui eradicant passionem. Fit interdum ut quis gaudeat quidem quòd injuriam perpessus sit, sed quia mercedem habiturus est. Hic est ex iis qui passionem eradicant, sed non cum scientia. Alius autem affectus injuriâ, gaudet, & loco debiti & talionis eam habet utpote qui causam eius dederit; atque hic secundùm scientiam extirpat passionem. Quempiam enim affici contumeliâ, sibique metipsi culpam imputâsse, atque ea quæ eveniunt,

Humilitas interior cum exteriori coniungenda.

tam-

tamquam propria suscipere, scientiæ est. Quisquis enim Deum rogat, dicens: Domine da mihi humilitatem, scire debet hoc ipsum esse quod precatur, ut scilicet aliquem mittat, qui contumeliis eum afficiat. Cùm igitur quis contumeliam ab aliquo accipit, debet & ipse sibi contumeliam istam imputare, & propriâ cogitatione semetipsum vilipendere, ut ille quidem ipsum exterius, ipse verò semetipsum interiùs humiliet. Est & alius, qui non solùm gaudet affectus injuriâ, & causam in se transfert, sed etiam dolet quòd turbetur is qui injuriam intulit. Deus ad talem statum nos adducat.

Examinare nos quotidie debemus, an proficiamus.

Videte quanta sit in tribus hisce statibus latitudo. Vnusquisque igitur nostrum, ut dixi, discat, cuius ipse sit status; utrum volens adhuc operetur secundùm passionem, eamque tueatur; an non volens quidem agat, sed victus & à consuetudine abreptus eam operetur, ac post opus affligatur ac pœnitentiam agat de facto suo; an contendat passionem cohibere in scientia, aut per aliam passionem oppugnet, uti diximus. Quod quidem fit, cùm quis tacet, vel propter vanam gloriam, vel propter humanam complacentiam, aut absolutè loquendo, propter aliquam rationem humanam. Discat item unusquisq; an inceperit eradicare passionem, utrum cum scientia illam eradicet, & exerceat passioni contraria, & ubinam sit, aut quotum agat milliare. Non tantùm

tùm enim debemus nos in dies singulos discutere, sed etiam in quodlibet tempus, in mensem, in hebdomadam, ac nobis ipsis dicere: primâ quidem hebdomadâ taliter istâ passione gravabar, nunc verò quomodo me habeo? Similiter per singula tempora dicendum: olim taliter vincebar ab hac passione, nunc quomodo me habeo? Atque hoc modo quotidie nosmetipsos exercere debemus, num aliquantulum profecerimus, aut in iisdem hæreamus, aut in deteriora lapsi simus.

Deus det nobis virtutem, ut si nondum eradicaverimus passionem, saltem illam non exequamur, sed cohibeamus. Reverà enim gravè est passionem in actum proferre, neque eam comprimere.

Mortificationis utilitas Rem vobis per exemplum declaro. Is qui explet passionem, similis est homini sagittis hostilibus confosso, qui sagittas illas manibus arreptas cordi proprio infigit. Qui verò passionem comprimit, similis est illi qui sagittis quidem hostilibus impetitus est, sed loricam indutus, nullam sagittam penetrare sinit. Qui autem eradicat passionem, similis est illi qui sagittis impetitus, easdem accipit, conteritque, aut illas in cor inimici retorquet, iuxta illud Psalmi: *Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* Psal. 36.15.

Satagamus igitur & nos fratres, etsi nondum possumus avertere gladium ipsorum in corda eorum, ut saltem sagittas non admittamus, neque in corda nostra

figa-

figamus. Quin potius loricā assumamus, ne quam plagam ab illis recipiamus. Deus bonus protegat nos ab ipsis, tribuatque nobis vigilantiam, ac dirigat nos in viam suam.

Notæ Corderi.

a QVis dabit nobis hoc tempus, si ipsum perdiderimus?] *Temporis enim nullum pretium est*, ait Seneca lib. de brevitate vitæ cap. 8. qui stomachans, graviusque ferens otiantes, quibus ea vilis jactura est, in hunc modum exclamat: *Re omnium pretiosissimâ luditur.* sed audiamus potius Patres nostros, illo stoico longè sapientiores, S. Ambrosius lib. 5. epist. 25. sic diviné monet: *Non exiguum detrimentum est vel hora unius. Et una hora totius vitæ portio est.* Sed prior illo Apostolus, qui è tertio cælo magnæ mentis effata retulerat, piè omnes & paternè obtestatur, ut cautè & sapienter ambulent, *tempus redimentes.* Videtur quasi mercatores omnes esse velle, & ab Euangelio trapezitas, qui maximè in tempore coëmendo versari debeamus. Eiusmodi autem illud est, ut rectè Sapientes *ἀνάλωμα πολυτελὲς sumptuosum impendium* vocaverint: tantæ alioqui dignitatis, ut cùm in eo momenta sint propè infinita, unumquodque æternæ gloriæ pondus adferre queat. Monet igitur clarissimus Doctor gentium, ut non solùm in tempore benè collocando, quod

Tempus rei omnium pretiosissima.

Ephes. 5. Coloss. 4. 5.

Quomodo tempus redimendum.

NOTÆ CORDERI

quod deinceps nobis Deus pro singulari sua bonitate concedet, summâ curâ industriaque laboremus; verùm etiam in eo recuperando, quod maximo animi damno de manibus fuit nobis ereptum: hoc enim redimere propriè dicimus. Id ipsum quoque Dorotheus hâc institutione nobis inculcat.

μετεωρίζεται quid propriè significet.

b Non debet distrahi, nec animo vagari.] In Græco est μετεωρίζεται, quæ vox sensum quemdam habet suum, quem antiquus interpres non satis expressit vertendo *obliviosum esse*, vel ut alibi vertit *dormitare*. Significat enim *sublimia cogitare*, vel ut proverbio dici solet, *castella sibi in nubibus fabricare*, id est, animo esse vago & dissipato, & minus ad officium intento. Sic sequenti Institutione XI. de vigilantia & animi attentione inter psallendum adhibenda loquens, ait ἢ μὴ ἀφῆκε τὴν ψαλμῳδίαν, καὶ ἐξῆλθεν ἔξω τῆς ἐκκλησίας μετεωριζόμενος, quod Hilarion vertit: *si interrupe- rimus psalmodiam, inaniter extra Ecclesiam & chorum educti*. Agit ibi de examine, quo quilibet in semetipsum inquirere debet: *an non omiserit psalmodiam, & egressus sit templo mente distractus*, sive inanibus rebus intentus. Eodem sensu Institutione XII. dixit, ἀπομετεωρίζεται πρὸς τὸ μέλος, id est, *peregrinari animo circa cantus suavitatem*, & quod præcipuum est omittere.

IBIDEM Interpres antiquus unum verbum pro alio malè legit & vertit. Nam ubi Dorotheus τεχνικὴν *artem fabrilem*

lem in exemplum adduxit, ipse *Rhetoricam* vertit, nempè dum aliud agit credidit esse in Græco ῥητορικὴν. NOTÆ CORDERI.

c Malitia per se nihil est, &c.] Quid malitia propriè sit, & unde existat, vide libro de divinis Nominibus cap. 4. §. 18. & sequentibus à S. Dionysio acutè ac doctè disputatum, & ibidem à S. Maximo in scholiis, nec non à Pachymera in Paraphrasi eleganter expositum atque explicatum: ubi etiam quædam in hanc rem annotavimus, quæ huic loco Dorothei illustrando conducant.

Perpetuâ opus vigilantiâ ne declinemus in malum.

d Nisi verò quis advigilaverit, & semetipsum custodiverit, facilè declinat.] Rationem redditur vigilantia necessaria sit, & tantoperè omnibus commendata: quia nimirùm mortalibus nihil fragilius est, nihil proclivius ad ruinam, ut nisi adsit nobis diligentia oculata, ruamus subitò in scelus, à virtutis medio declinantes. Dictum est Pittaci unius è Græcia sapientis, χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι *Difficile est bonum permanere.* Quod attulit S. Basilius hom. 24. cùm ad solertiam, curam & industriam adhortatur, fugiendamque inertiam. Noverat quippè hominum fragilitatem, qui nec ab ullo agitati, & impulsi per se tamen diu non possent consistere. Accedit, ad hanc mirificam imbecillæ mentis levitatem, quòd ubique reperiuntur, qui ad casum & ruinam impellunt Circumstant nos multa domi & foris invitamenta ad scelus quæ cùm opes & consilia sua, cum

natu-

NOTÆ CORDERI

natura depravata conferent, ad turbandum animum, & labefactandam constantiam, quis tutus & in gradu firmus diu esse possit, nisi in continuis velut excubiis sit industria, quæ laqueos ubique obtentos evitet?

Excessus & defectus cavendi.

c *Ad excessum, aut defectum.*] Quod enim in corporibus sanitas, in animo est virtus, ut sapientissimè docuit Aristoteles. Nam ut rectè Medicinam definit Hippocrates ἀφαίρεσιν τῶν ὑπερβαλλόντων, καὶ πρόσθεσιν τῶν ἐλλειπόντων, *ablationem eorum quæ redundant, & appositionem eorum quæ desunt:* ita gravissimi viri sentiunt, vim virtutis & florem consistere in excellenti quâdam mediocritate, omnesque in eo laborare oportere qui sunt virtutis studiosi, ut tollant ὑπερβολὴν καὶ ἔλλειψιν *excessum & defectum*, ut animi sanitas, & bona valetudo existat.

INSTITVTIO XI.

DE PASSIONIBVS EXTIRPANDIS.

ADvertite animum vestrum fratres, quo pacto sese res habeat & videte ne vosmetipsos negligatis, quandoquidem *a* magnis periculis exponit nos etiam parva negligentia. Incidi nuper in fratrem quemdam, quem reperi jam quasi è morbo convalescentem, dumque nos exciperet, cognovi quòd septem tantùm dies febri laborasset; & ecce jam aliis

a *Etiam minima negligentia nos conjicit in pericula.*

qua-

quadraginta diebus elapſis, vix adhuc priſtinas recuperare vires ſuas poſſet. Videte fratres quàm miſerum ſit incidere quempiam in diſpoſitionem inæqualem.

Contemnit quis plerumque parvas inordinationes; & nō novit, quòd ſi corpus eius malè habere perrexit, præſertim ſi fuerit imbecillius, multo & labore, & tempore opus eſſe antequam valetudini reſtituatur. Septem diebus miſer iſte febricitaverat, & ecce tot dies ſunt, quibus neque reperit quietem, neque ſemetipſum inſtaurare omninò potuit.

Ita ſe res habet etiam in anima. Paululùm quis peccat, & quantum temporis tranſigit ſtillando ſanguinem ſuum, antequam ſemetipſum erigat? Et in corporea quidèm infirmitate varias cauſas reperimus vel quòd medicinæ rancidæ vim ſuam amiſerunt, vel quòd medicus non ſatis expertus, aliam pro alia medicinam præbet, vel quòd ægrotus inordinatè ſe gerit, neque ſervat ea quæ à medico præcipiuntur: in anima verò non ita ſe res habet: non enim dicere poſſumus, quòd medicus ſit imperitus, qui minimè convenientes dederit medicinas. Nam Chriſtus animarum medicus eſt, qui & omnia novit, & unicuique paſſioni covenientem exhibuit medicinam. Exempli cauſa: vanæ gloriæ præcepta de humilitate; luxuriæ continentiam, avaritiæ eleëmoſynam appoſuit, & abſolutè loquendo quælibet paſſio pro medicina habet præceptum ſibi

Comparatio inter morbos animæ, & corporis.

Chriſtus peritus animarum medicus.

sibi accommodatum. Itaque medicus non est imperitus. Sed neque rursus medicinæ quòd rancidulæ sint, vim suam amiserunt. Christi enim præcepta numquam veterascunt, sed quò magis exercentur, eò magis renovantur. Nihil igitur impedimento est saluti animæ, nisi sola ipsius inordinatio.

Temporis brevitas & mortis vicinitas.

Attendamus ergò nobis fratres, vigilemus dum tempus est. Cur nosmetipsos negligimus? Faciamus aliquid, ut inveniamus auxilium in tempore tentationis. Quid vitam nostram perdimus? Tot tantaque audimus; & nihil nobis curæ est, sed contemnimus? Videmus fratres nostros è medio nostri abreptos, & non vigilamus, scientes nos paulatim etiam morti appropinquare. Ecce ex quo huc usque consedimus ad loquendum, duas aut tres horas nostri temporis consumpsimus, & morti viciniores facti sumus. Et videmus nos tempus nostrum perdere, & non timemus?

Magna est habenda ratio temporis.

Cur non meminimus sententiæ illius senis dicentis: quod si aurum vel argentum quis perdiderit, posse illum aliud pro eo reperire; tempus verò si otiosè ac desidiosè vivendo perdiderimus, non posse nos aliud ullum invenire. Certè quæremus unicam horam huius temporis & non inveniemus. Quot sunt qui desiderant audire verbum Dei, & non possunt: & nos tot tantaque audimus, atque contemnimus, neque excitamur. Deus novit,

vit, quantùm percellar animarum nostrarum duritie; quòd possimus salvari, & nolimus. *b* Possumus enim dum adhuc teneræ sunt passiones nostræ, illas abscindere, & non curamus, quin potius eas permittimus adversus nos obdurescere, ut extremā malitiam exerceamus. Aliud enim est (ut sæpè dixi*) herbam evellere, quæ statim extirpatur, & aliud est magnam arborem eradicare.

b Passiones dū tenera sunt extirpari debent, non secus ac herba.

*Vide institutione 8.

Senex quidam magnus una cum discipulis sese recreabat loco quodam, in quo erant variæ cupressi parvæ & magnæ; tum uni è discipulis suis senex ait: evelle hanc cupressum, erat autem valdè parva; statimque unicâ manu illam extraxit. Deinde ostendit ei senex aliam priori maiorem, ac dicit ei: etiam hanc evelle. Ille autem ambabus manibus eam concutiens tamdem evulsit. Rursus ostendit ei senex aliam maiorem; ipse verò maiori quoque adhibito labore illam etiam extraxit. Posteà ostendit ei senex aliam majorem; quam & ille maiori labore extraxit. Postmodùm adhuc aliam maiorem ostendit, quam & ille majori conatu multùm concutiens, & laborans, & sudans tamdem evulsit. Denique ostendit illi senex adhuc majorem; sed postquam multùm laborasset ac sudasset, evellere non potuit. Vt igitur vidit senex ad hoc vires illi non sufficere, præcepit alteri fratri ut assurgeret, eique opem ferret, ac sic ambo illam extrahere valuerunt. Tunc

senex.

ſenex fratribus iſtis ait: Ecce fratres hoc modo ſeſe habent paſſiones, dum parvulæ ſunt, ſi voluerimus, cũ animi tranquillitate poſſumus eas exſcindere; ſi verò illas, tamquam parvas neglexerimus, paulatim obdureſcunt, & quò magis obduruerint, eò maiore vi & labore opus eſt. Quod ſi autem adverſus nos prævaluerint; jam non amplius etiam ſummo labore ipſas evellere valemus, niſi quorumdam Sanctorum poſt Deum nobis opitulantium opem habuerimus.

Videtíſne quantam ſanctorum ſenum monita vim habeant? Quin & Propheta ſimiliter nos in hoc Pſalmo docet, cùm ait: *Filia Babylonis miſera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis; Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Ceterùm conſequenter dictum iſtud expendamus. Babylonem vocat confuſionem, ſic enim exponitur à *Babel*, quod idem eſt quod confundere. Filiam Babylonis appellat inimicitiam. Primùm enim confunditur [ſeu turbatur] anima, & ſic perficit peccatum. Miſeram autem eam vocat, quoniam (ut aliàs dixi vobis) ſubſtantiæ ſubſiſtentiæque expers eſt malitia, per noſtram negligentiam ex nihilo conflata, iterumque per noſtram emendationem periens & in nihilum evaneſcens. Dicit igitur quaſi ad eam ſanctus David: *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.* Diſcamus quid ei dederimus, quidve receperi-

Pſal. 136. 8. Babylon eſt figura paſſionum.

perimus, & quid velimus retribuere. Dedimus voluntatem nostram, & recepimus peccatum. Hic sermo igitur beatos pronuntiat eos qui retribuunt ei retributionem suam. Retribuere autem est idem quod non amplius facere peccatum. *Deinde* infert : *Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Ac si dicat: Beatus qui genimina tua, id est pravas cogitationes, non admiserit in principio, neque locum eis dederit in se, quo augeantur, & malum fiat: sed statim cùm adhuc parvulæ essent, antequam enutrirentur & crescerent, in se illás continuit, & allisit ad petram quæ Christus est, & ad Christum fugiendo eas perdidit. Ecce quomodo seniores omnes cum Scriptura sacra concordent, ac beatos pronuntient eos qui contendunt passiones extirpare dum adhuc teneræ fuerint, antequam dolorem & amaritudinem earum experiantur. Sátagamus igitur fratres, ut misericordiam consequamur. laboremus parumper & magnam inveniemus animi quietem.

Docuerunt Patres *c* quomodo sigillatim quisque semetipsum expiare debeat, scilicet vesperi sese examinando, quomodo diem transegerit, & rursum manè quomodo exegerit noctem, & coram Deo pœnitentiam agendo, de iis quæ (ut verisimile est) peccavit. Ceterùm cùm nos reverà multùm peccemus, propter oblivionem nostram opus est, ut *d* etiam post quaslibet sex horas nosmetipsos

c

Examen frequens conscientia commendatur.

d

ſos perſcrutemur, quid prætergreſſi ſimus & in quo peccaverimus: & unuſquiſque noſtrum ſibimetipſi dicat: num quidquam locutus ſum, quod fratrem meum læſerit. Numquid vidi ipſum aliqua gerentem, atque ipſum condemnavi, aut ipſum contempſi vel ipſi detraxi? Numquid petij quidquam à promocondo, & cùm non daret mihi, adverſus ipſum murmuravi? Numquid cùm minus rectè coctum eſſet olus, dixi verbum quo ſuffudi coquum, ipſúmque afflixi? numquid ego faſtidioſus mecum ipſo murmuravi? Si quis enim ſecum ipſe murmuret, peccatum eſt. Rurſum dicat: numquid præfectus ceremoniarum, aut quivis alius fratrum dixit mihi verbum, quod non æquo animo tuli, ſed refutavi?

Murmuratio etiam interior cavenda.

Ad hunc modum quotidie debemus noſmetipſos examinare, quo pacto diem tranſegerimus, eodemque modo quiſque debet ſeipſum diſcutere, quomodo noctem exegerit utrum ad vigilias cum alacritate ſurrexerit; utrum excitatorem non contempſerit, aut contrà ipſum non murmuraverit. Quilibet enim ſcire debet excitatorem vigiliarum optimè de ſe mereri, & maximorum bonorum auctorem fieri, cùm excitet ipſum ad orandum Deũ pro peccatis ſuis, ut illuminetur. Quomodo igitur quis non debeat gratias agere? Reverà debet ei plurimas habere, cùm ab ipſo ferè ſalus eius dependeat.

Excitator quantũ bonũ præſtet, dum à ſomno excitat ad vigilias ſacras.

Hac de re dicam vobis aliquid admiran-

randum, quod à magno ſene quodam illuminato audivi. Cùm ſtaret is in Eccleſia, dato jam à fratribus pſallendi initio, vidit quemdam egredi è ſacrario candidâ veſte indutum, qui tenebat vaſculum quoddam aquæ benedictæ cum aſpergillo, & intincto in vaſculum aſpergillo, fratres omnes circuibat, obſignans quemlibet eorum: abſentium autem loca nonnulla quidem obſignabat, quædam verò præteribat. ſub finem rurſus vidit ipſum è ſacrario egredientem, idemque ſimiliter facientem. Quodam ergò die ſenex ipſum comprehendit, ſeque ad eius pedes proiicit; poſtulans ab eo quiſnam eſſet, & cur iſta faceret? Cui ille candidatus ſic reſpondit. Ego ſum Angelus Dei, miſſus ad hanc congregationem, ut huiuſcemodi ſigno munirem eos qui à principio pſalmodiæ uſque ad finem pro ſua alacritate & diligentiâ, & inſigni animi propoſito in Eccleſia reperiuntur ac perſeverant. Tum ſenex ei: qui fit, inquit, ut quorundam etiam abſentium loca ſignes? Cui ſanctus Angelus reſpondit, dicens: quicumque ex fratribus diligentes quidem & prompto ſunt animi propoſito, ſed ab aliquam neceſſitatem aut infirmitatem abſunt cum patrum benedictione; aut certè ex obedientiæ præcepto occupantur, propter quod non adſunt, hi etiam abſentes ſignum ſuum accipiunt quandoquidem affectu pſallentibus inſcripti: ſolis autem iis qui cùm adeſſe poſſent,

Angeli benedicunt diligentibus.

possent, propter negligentiam suam absunt, huiusmodi signaculum negare iussus sum, quoniam seipsos eo indignos reddiderunt.

Considerate & videte quale donum fratri suo præstet, qui juxta vigiliæ regulam ipsum excitat. satagite igitur fratres, ne umquam signaculo sancti Angeli defraudemini. Si autem contigerit quempiam animo esse vago & alius ipsum monuerit, minimè debet indignari; sed honestati attendens, quiscumque demùm fuerit monitori suo gratias agat.

Quando in cœnobio versabar, de sententia seniorum fecerat me Abbas hospitum curatorem: eram autem è magna infirmitate convalescens. Veniebant igitur hospites, & vesperum cum illis transigebam: similiter veniebant camelarij, quibus necessaria suppeditabam. Quin & non rarò postquam iveram cubitum aliâ rursus occurrebat necessitas, quæ me excitabat. Intereà verò adventabat hora vigiliarum, & cùm parumper dumtaxat somni cepissem, eccè regularum præfectus me excitabat. Ceterum sive propter laborem, sive propter infirmitatem (adhuc enim à febricula enervatus, furtim corripiebar) quasi impos mei deprehendebar. Respondebam igitur ipsi adhuc somno oppressus: benè Domine charitas tua memoretur, Deus det tibi mercedem, en ut iussisti venio Domine. Deinde simul ac discesserat, iterùm ob-

S. Dorothei vigilantia & diligentia.

dormiſcebam, vehementer autem affligebar, eo quòd tardaſſem ſurgere ad Eccleſiam. Et quoniam non occurrebat ipſi ut amplius me urgeret, rogabam duos fratres, alterum quidem ut me excitaret, alterum verò ut non permitteret me dormitare in vigiliis. Et credite mihi fratres, ſic eos venerabar, ac ſi ab ipſis ſalus mea dimanaret, & vix non adorabam illos. Sic igitur & vos affici debetis erga eos qui vos ad regulam Eccleſiæ atque ad omne opus bonum excitant.

Prout igitur diximus, debet quis inveſtigare quomodo diem noctemque tranſegerit; utrum cum vigilantia ſteterit in pſalmodia, & in oratione captus fuerit cogitationibus turbulentis! an attentè divinis lectionibus auſcultaverit. An non omiſerit pſalmodiam, & egreſſus ſit Eccleſiam mente diſtractus. Si quis hoc modo ſemetipſum quotidie fuerit perſcrutatus, & pro peccatis ſuis pœnitentiam agere, ac ſemetipſum emendare ſtuduerit, incipit imminuere malitiam, & id quod novies agebat, jam octies agit, & ſic adjuvante Deo ſenſim proficiens, non ſinit paſſiones adverſus ſe obfirmari. Ingens enim periculum eſt, ſi quis inciderit in habitum paſſionis; quandoquidem, ut diximus, neque ſi talis velit, potens eſt ſolus ſuperare paſſionem, niſi à Sanctis aliquibus auxilium obtinuerit.

Examinandus orationis ſucceſſus & modus.

Vultis enarrem vobis exemplum cuiuſ-

dam qui habebat habitum passionis! Audite rem multo planctu dignam. Cùm versabar in cœnobio, nescio quo pacto fratres mihi simpliciter, per iocum cogitationes suas exponere solerent. Quin & Abbas de seniorum consensu, hanc mihi quoque provinciam injunxit. Quadam igitur die venit ad me quidam è fratribus, & dicit mihi. Da mihi veniam, & ora pro me, quoniam furtim surripio, & comedo. Aio illi, cur istuc agis? esurisne? Respondit: Certè equidem. Non sufficit mihi mensa fratrum nec audeo quidquam aliud postulare. Aio ad eum: cur Abbatem non adis, & necessitatem tuam illi insinuas? Tum ille, pudore, inquit, afficior, & erubesco. Dico ipsi, vis ut ego pro te ad eum accedam? Tum ille: age, inquit, ut lubet Domine. Abivi igitur & Abbati rem exposui, qui dixit mihi: Fac charitatem, & curam eius habe, prout nosti. Tunc assumpto illo, dico dispensatori, fac ei charitatem & quacumque horâ frater iste ad te venerit, da ipsi quæcumque voluerit, & nihil ipsi neges. Quo audito dispensator, respondit mihi, prout jussisti, sic faciam. Cùm frater ille ad paucos dies ita fecisset, venit ad me, dicens: Ignosce mihi Domine, quia incepi iterū furari. Interrogo ipsum, quare? Nonne præbet tibi dispensator si quid velis? ita certè, cum bona venia præbet mihi quæcumque volo: sed ego revereor ipsum. Tum dico illi: Numquid & me revereris?

Consuetudo mala difficilè relinquitur.

vereris?

veretis? Respondit mihi, non. Cui ego, si igitur aliquid velis, veni & accipe ex me, & non fureris (habebam enim tunc curam infirmorum.) veniebat igitur ad me & accipiebat quantum volebat. Cœpit autem post aliquot dies iterum furari, & venit afflictus, ac dicit mihi. Ecce iterum furor. Cui ego, cur, inquam, hoc facis frater mi? Numquid præbeo tibi si quid velis? Respondit certè ita. tum dico ei, quare ergo furaris? Cui ille, ignosce mihi, inquit, nescio quare. sed sic simpliciter furor. Tunc dico illi. Dic mihi verò quid facis cum iis quæ furaris? Respondit, asino illa proiicio: & inventus est frater ille furatus fuisse vicias, palmulas, ficus, cepas, & alia id genus quæcumque promiscuè inveniebat, & nonnulla quidem sub lecto, quædam verò alibi abscondebat. Demùm, cùm quid eis ageret prorsus non inveniret, ubi tamdem videbat ea corrupta, discedebat & abiiciebat, aut bestiis ea apponebat.

Ecce videris quid sit habere inolitam passionem? videris quanta miseria, quantaque afflictio sit istiusmodi? Sciebat hoc esse malum, non ignorabat se malè agere, affligebatur, lacrymabatur, & tamen infelix à prava consuetudine illa trahebatur quam ex præcedenti socordia sensim sibi comparaverat. Vnde rectè aiebat Abbas Nistheron, eum qui abstraheretur à passione fieri servum passionis. Deus bonus liberet nos à pravo habitu, ne &

 nobis

Psal. 29. 10. nobis dicat: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?*

Habitus fit ex pluribus actibus.

Dixi iam vobis diversimodè quomodo quis in habitum incidat. neque enim qui semel irascitur, jam dicitur iracundus, neque qui semel fornicatur, dicitur fornicator, neque qui semel miseretur, dicitur misericors: sed tam virtus, quàm vitiositas ex assidua operatione habitum quemdam animæ ingenerant, atque ipsemet habitus deinde animam vel cruciat, vel tranquillat. Quomodo autem virtus animam tranquillet & quomodo malitia ipsam excruciet, diversis jam vicibus exposuimus. Quoniam virtus quidem à natura nobis inest; indelebilia sunt enim semina virtutis: dixi igitur nos quamdiu bona operamur, esse in habitu virtutis, id est proprium habitum resumere ad propriam redire sanitatem, velut à quadam cæcitate ad proprium lumen, vel à quavis ægritudine, ad propriam ac naturalem valetudinem. In vitiositate verò non ita se res habet: sed peregrinum quemdam & præter naturam habitum suscipimus, per mali operationem, ac si in habitu cuiusdam pestilentis infirmitatis versaremur, ut jam amplius convalescere nequeamus, sine multis lacrymis eorum qui commovere Christi miserationes erga nos valuerint.

Virtus est naturalis, vitium verò præter naturam.

Hoc item in rebus corporeis videre licet. Sunt quidam cibi qui v. g. humorem gignunt melancholicum. Exempli

causa

causa brassica & lentes, & quædam alia huiuscemodi quæ meláchqlica sunt. Non igitur quòd quis brassicam vel lentem semel iterúmve comedat, generatur in eo humor melancholicus, sed si cõtinuè his utatur, ita ut deinceps abundet, tunc febres movet, quæ sui possessorem adurunt, & in alias innumeras molestias quempiam inducunt. Eodem modo in anima se res habet: si quis peccare perseveraverit, habitus quidam pravus in anima generatur, qui ipsam discruciat.

Ceterùm & hoc considerate, quomodo nimirum aliquando reperiatur anima usque adeo in passionem propensa, ut si vel semel dumtaxat in passionis illius operationem inciderit, statim periclitetur ne in habitum deveniat; id quod & in rebus corporeis usu venit. Invenitur enim quispiam interdum ex præcedenti negligentia evasisse temperamenti adeò melancholici, ut vel unica istiusmodi comessatio humorem statim melancholicum in ipso irritet & accendat. multa igitur vigilantiâ, & studio, & timore opus est, ne quis in pravum habitũ incidat.

Credite fratres, si quis habuerit unicam passionem & exercuerit decem opera bona; illud ipsum unicum ex pravo habitu factum, reliqua decem bona superare. Quemadmodum enim aquila, si tota laqueum evaserit, solus autem unguis ipsius reperiatur illigatus per illam particulam minimam omnes eius vires *Peccatum unicum multa evertit.*

deijciuntur. Quamvis enim corpus totum sit extra laqueum, & unguis solus devinctus sit, numquid non aquila ipsa est in laqueo? nónne auceps quacumque horâ voluerit ipsam deijcit? Eodem modo in anima se res habet; unica dumtaxat passio habituata ipsam occupet, quacumque horâ placuerit inimico, ipsam deijcit; habet enim eam per passionem istam sibi mancipatam. Idcircò assiduè vos moneo, ne passionem in vobis habitum facere sinatis; sed connitamur Deum rogare die ac nocte, ne in tentationem incidamus.

Ceterùm si etiam ut homines succubuerimus, & in delictum aliquod impegerimus, satagamus illicò resurgere, & pro eo pœnitentiam agamus, ploremus coram divina bonitate, vigilemus, certemus, ac Deus intuens propositum nostrum & humilitatem nostram, & contritionem nostram, manum nobis porriget & faciet nobiscum misericordiam suam. Amen.

NOTÆ CORDERI.

Ex parvis principiis magna mala nasci.

a Magnis periculis exponit nos parva negligentia.] Hoc illustrans magno judicio Aristoteles lib. 5. Politicorum cap. 1. ostendit exemplis multa & gravissima mala enasci ἐκ μικρῶν *ex parvis* ut ipse appellat. Præterea cap. 8. ejusdem libri, ad conservandam rempub. hoc imprimis dat mo-

monitum, τὸ μικρὸν φυλάττειν, *in rem etiam parvam intendere*, cavendum ne id quod parvum est negligatur, néve in re parva peccetur. Sciebat enim Philosophus ille nobilissimus naturę imbecillitatem, communemque hunc hominum nævum, qui solent, quæ ingrata sunt atque displicent, ut ignotos homines præterire, & ne aspectu quidem suo dignari. Cumque illa tamen sæpè sint gravioris momenti, ex eorum contemptu & ignoratione multa mala & incommoda pullulant. Itaque lib 6. Politicorum, sic etiam præclarè dicit: ὀλίγον μὲν πονηρὸν παροράται; *pusillum malum non attenditur, neque cernitur*, auctum verò & propagatum in oculos demum incurrit. Est autem prudentiæ maximè Christianæ, nihil exiguum ducere, aut negligendum, quod animæ bonum attingit: & in malis, quale vitium & peccatum est, celeriter occurrere, ne tenuibus è principiis, velut è scintilla, periculosum & magnum incendium nascatur quod difficilè possit extingui. *Periculosæ*, (inquit Hilarius in Psal. 136.) *sunt jam robustæ cupiditates, & difficulter adulta quæque perimuntur.* Id qnod Dorotheus hàc institutione plurimis rationibus & exemplis eleganter confirmat.

NOTÆ CORDERI

b *Possumus enim dum adhuc teneræ sunt passiones nostræ illas abscindere.*] Hoc etiam Seneca scitè animadvertit, & explicuit in hunc modum. *Non obtinebis ut desinat, si incipere permiseris, Imbecillis est primò omnis affe-*

Passiones adhuc teneræ, extirpandæ, & suffocãdæ.

NOTÆ CORDERI

affectus, deindè ipse se concitat, & vires dum procedit parat, excluditur facilius, quàm expellitur. Sed humanâ Philosophiâ maior Vates regius hîc à Dorotheo citatus, admirandis symbolis suis, longè antè id præceptum insignierat, cùm cecinit, Babylonicos fœtus dum adhuc molles tenerique sunt, esse ad petram elidendos. Hoc qui fecerint, beatos pronuntiat, ut qui liberi sint futuri à molesto & crudeli bello, quod effecti robustiores inimici, omni virium contentione inferrent. Vbi Propheta sanctus excellenti judicio duo ponit: *tenebit, & allidet.* Si potes, ut Hercules in cunis, ab hostili genio immissos angues, triumphali manu elide, & præfoca: si non tantum est animi robur, & herois constantia, tene saltem & coërce: in utroque beatus; sed longè illud felicius, quod palmam & nobilem victoriam tribuit. Quare ut dixi omni curâ, & sapienti animadversione providendum est, ut si quando primi existent motus, & ut in ventis quos appellant *προδρόμους antecedentes, præcurrentes*, ij prius, quàm vires capiant, extinguantur.

Agnoscenda per examen vitia, ut cu-rentur.

c *Quomodo sigillatim quisque semetipsum expiare debeat.*] Tradit hîc Dorotheus exactam rationem examinandi conscientiam, ut qui studet puritati & victoriæ de vitio reportandæ, in se inquirat, & latebras animi omnes perscrutetur, in quibus fortè malum delitescit, cui tollendo incumbendum sit. Agnoscendus enim morbus

morbus, ut curetur, ne serpat ignotus, animæque vitam interimat. Verè ac sapienter Seneca epist. 28. *Deprehendas te oportet, antequam emendes.* Et epist. 6. *Hoc argumentum est in melius translati animi, quòd vitia sua, quæ adhuc ignorabat, videt.* Idem sanè evenire in animis, quòd in corporibus solet, ut ignotum ulcus in deterius abeat, & curatione destituatur. Verè proindè Alexander Trallianus doctissimus & expertissimus medicus lib. 9. cap. 1. ὀρθῆς θεραπείας πηδάλιον ἡ διάγνωσις. *Internotio*, inquit, *rectæ curationis fundamentum est.* Vnde eleganter Chrysologus serm 30. *Si vis curam, agnosce languorem.* Si quod autem vitium deprehenderis, si latentis peccati vestigum & turpitudinem, non dissimulandum est, nec cunctandum, aut expectandum, ut vim majorem in dies capiat, & corroboretur. Peccatum enim nisi continuò & promptè eijciatur, alia propè infinita progignit. Non est igitur differendum dum infausta proles generetur, & amplificetur malum, sed quod aiebat sapienter D. Gregorius Nyssenus de vita Moysis, animo magno interficienda sunt primogenita Ægyptiorum, & serpentis caput conterendum, & illiniendi postes cruore Agni immaculati, ut salvi esse possimus.

NOTÆ CORDERII.

d *Etiam post quaslibet sex horas nosmetipsos perscrutemur, &c.*] Iuxta hoc Dorothei præceptum S.P.N. Ignatius duplex quotidie examen conscientiæ nobis præcepit,

NOTÆ CORDERI

unum ſcilicet meridianum ante prandium, & alterum veſpertinum antequam cubitum nos conferamus., ac præterea particulare, ut vocat, examen in certum aliquod quocum ſingulare certamen donec penitus debellatum ſit ineatur. De quo conſule aureum ipſius libellum Exercitiorum, & Praxin eorumdem per Patrem de Palma Plantinianis typis editam. Plura quoque à nobis tomo primo Expoſitionis Patrum Græcorum in Pſalmi quarti verſum quintum; & in Iob capite 7. verſ. 13. dicta de ſui examine ſi lubet, vide.

INSTITVTIO XII.

DE TIMORE FVTVRI CRVCIATVS

Infirmi quomodo viſitandi?

CVm pedibus laborarem, & ex illis infirmarer, quidam fratres qui ad viſitandum me accedebant, cauſam morbi ſibi indicari poſtulabant, duo, ut arbitror ſatagentes, ut hac ratione me ſolarentur, mentem parumper à dolore abducendo; tum ut occaſionem mihi præberent quidpiam quod ex re ipſorum foret exponendi. Sed quoniam tunc dolor, me loqui vobis volentem impediebat, nunc opus eſt ut eadem de re verba facientem audiatis. Eſt enim de afflictione, poſt afflictionem ipſam perjucunda narratio. Et in mari dum tempeſtas excitatur, omnes continenter affliguntur, poſtquam

quam verò tempeſtas deſæviit, continuò ſibi invicem cum gaudio quæ in ea contigerint, narrant.

a Bonum eſt fratres, ſicut vobis aſſiduè dico, rem quamlibet in Deum referre, ac dicere nil fieri ſine Deo; ſed omninò ſic noviſſe Deum id bonum fore atque utiſe, & hoc modo feciſſe, etiamſi res ipſa cauſam aliquam exteriorem habere videretur. Exempli cauſa, poteram dicere me poſtquam cum hoſpitibus comediſſem, eoſdemque recreandi gratia ipſe mihi vim aliquam intuliſſem, ſtomacho fuiſſe gravatum humoremque ad pedem meum defluxiſſe; unde gravedine iſtâ infeſtabar. vel alias etiam diverſas cauſas adferre poteram, non enim deficerent modò vellem. Sed perfectius & utilius eſt dicere ſic noſſe Deum animæ meæ conducere, atque ita factum eſſe. Nihil enim eſt illorum quæ facit Deus, quod non ſit bonum, ſed omnia bona valdè. Non oportet igitur quemquam deſpondere animum in his quæ accidunt, ſed omnia, ut dixi, ad Dei providentiam referenda, eique acquieſcendum.

Omnes afflictiones à manu Dei accipiendæ.

Sunt aliqui in afflictionibus occurrentibus adeò dejecti, ut vitam ipſam repudient, & mortem ipſam eligant quâ liberentur. Hoc autem ex puſillo animo ac multa ignorantia quis patitur, ignorans terribilem neceſſitatem, quæ animæ poſt exitum è corpore incumbit. Magna benignitas Dei fratres, quòd ſimus in hoc

mundo: ſed nos ignorantes quæ illic ſint, gravia conſideramus quæ hîc ſunt, & non eſt ita.

Neſcitis quid dicatur in libro ſeniorum; ut quidam frater admodum laborioſus, rogarit quemdam ſenem, dicens: anima mea mortem deſiderat? cui ſenex, idcircò, inquit, mortem deſideras, quia fugis afflictionem, & neſcis futuram afflictionem hâc præſenti multò eſſe graviorem.

Mors exoptatur ignorantia.

Alius item rogavit ſenem, dicens: unde tœdio afficior cùm ſedeo in cella mea? cui ſenex; quia, inquit, nondum conſpexiſti, vel ſperatam requiem, vel futuram punitionem. Si enim hæc accuratè perluſtrares, etiam ſi cella tua ita vermibus ſcateret, ut in ipſis collo tenus immergereris, abſque tœdio ſuſtineres. ſed nos etiam dormiẽtes volumus ſalvari, & idcircò parvi animi ſumus in afflictionibus, cùm potius deberemus Deo gratias agere, & noſmetipſos beatos exiſtimare, quod omninò digni habeamur parumper hîc affligi, ut medicam iſthic requiem inveniamus.

Euagrius quoque dicebat hominem paſſionibus obnoxium, qui optaret celeriorem ſibi ex hac vita emigrationem, ſimilem eſſe homini, qui fabrum advocat, ut lectulum ægroti ſtatim confringat. Anima enim per hocce corpuſculum à paſſionibus ſuis diſtrahitur, & recreatur, comedit, bibit, dormit, converſatur, & cum

cum amicis ambulat: ubi verò egressa fuerit è corpore, ipsa manet sola cum passionibus suis, à quibus deinceps iugiter punitur, in ipsis occupata, & ex illarum perturbatione exardescens, atque ab ipsis ita distracta, ut nec ipsius Dei meminisse queat. Ipsa enim memoria Dei recreat animam, quemadmodum in Psalmo dicitur: *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Et tamen neque hoc permittunt ei passiones.

Passiones post mortem acrius torquent animã

Psal. 76. 4.

Vultísne tamquam in exemplo addiscere quid sit quod dico? Veniat aliquis vestrum, & recludat semetipsum in cellulam obscuram, & ad triduum dumtaxat non comedat, neque bibat, neque dormiat, neque cum ullo conversetur, neque psallat, neque oret, neque Dei prorsus recordetur, & discat quid in se efficiant passiones. Atqui hoc patitur dum adhuc est hic: quantò igitur magis postquam anima è corpore migraverit, & passionibus suis tradita, solaque cum ipsis derelicta fuerit? Certè quid tunc misera ab ipsis perpessura sit, & quæ sit futura isthæc afflictio, ex præsentibus aliquo modo cognoscere licet. Quando enim quis febricitat, quid est quod illum comburit, qualis ignis, vel qualia ligna ardorem istum efficiunt? Si quis autem reperiatur qui habet corpus melancholicum malè temperatum, numquid ipsa eius intemperies ipsum intus comburit & turbat omninò, & affligit vitam eius? sic & anima

Passiones comparantur febri.

anima passionibus affecta perpetuò à propria mala habitudine misera torquetur, habens semper amaram memoriam, & molestam occupationem passionum quæ ipsam assiduè adurunt, & inflammant.

Inferni descriptio. Et præter hæc, fratres, quis enarrare valeat loca illa horribilia, corpora ista torturæ animarum ad talem tantumque cruciatum perpetuò subservientia, nec unquam deficientia? ignem illum inexplicabilem, tenebras, crudeles illas potestates ultrices, aliaque innumera tormenta quæ in variis Scripturæ divinæ locis memorantur, omnia proportione quâdam pravæ animarum actioni & perversis earum cogitationibus respondere. Quemadmodum scilicet sancti sortiuntur loca quædam lucida, & angelicam delectationem bonæ ipsorum actioni congruentem; ita etiam peccatores ut sancti tradunt, sortiuntur loca tenebricosa & caliginosa, horrore & extasi plena. Quid enim horribilius ac miserabilius istis locis ad quæ dæmones ablegantur? Quid acerbius eo supplicio, quo illi adjudicantur? & tamen peccatores etiam cum ipsis dæmonibus plectuntur iuxta illud: *Discedite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* *Matt. 25. 41.*

Illud autem maximè terribile est quod dicit S. Ioannes Chrysostomus, scilicet, quòd etsi illic neque fluvius ignis flueret, neque angeli horribiles adessent, sed ex hominibus qui vocati sunt, alij quidem

lauda-

laudarentur & glorificarentur; alij verò fine honore dimitterentur, & gloriam non viderent: numquid tormentum confusionis ac dedecoris illius, & dolor frustrationis istiusmodi bonorum omni gehennâ gravius acciderct! Tunc enim & *b* ipsemet conscientiæ remorsus, & ipsa facinorum memoria (ut suprà diximus) molestior est infinitis & ineffabilibus suppliciis. Nam animæ, ut Patres tradunt, illic distinctè meminerunt omnium quæ hîc egerunt, tam verborum, quàm operum, & cogitationum, nec ullius horum oblivisci possunt.

Conscientiæ vermis. *b*

Ceterùm quod in Psalmo ait: *In illa die peribunt cogitationes eorum*; cogitationes dicit huius sæculi, veluti ædificationis, agrorum, parentum, filiorum, & omnis commercij. Hæc simul atque anima è corpore egressa est, pereunt, & nullius horum meminit vel curat. Quæ verò ex virtute, aut ex passione gessit, horum reminiscitur, & nihil ex his perit. Sed si quis etiam aliquē juverit, aut ab aliquo adjutus fuerit, semper est memor, & adjuti, & adjutoris sui. Simili modo si quem læserit, aut læsus à quoquam fuerit, semper & lædentis se; & à se læsi reminiscitur: & nihil (ut dixi) perdit anima eorum quæ in hoc mundo gessit, sed omnium, ubi è corpore egressa est, distinctè recordatur: quin imo clarius, lucidiusque, quippè à corpore hoc terreno liberata.

Psal. 145.4.

Virtutis & vitij merces manet post hanc vitam.

Hac de re cùm magno quodam sene

aliquando

aliquando loquebamur; & dicebat iste senex animam è corpore egressam reminisci passionis & peccati perpetrati, & personæ cum qua deliquit. Ego verò aiebam ei; Fortasse non esse ita: sed verosimiliter habituram esse habitum ex peccati perpetratione sibi insitum cuius recordaretur. Et mansimus hoc modo dudum contendentes, huiusce rei rationem aliquam intelligere cupientes: & senex minimè mihi acquiescebat, dicens: quòd etiam speciei ipsius peccati meminisset, nec non loci ac personæ cum qua peccasset. Et sanè si ita se res habet, adhuc multò deteriora nobis futura sunt novissima. Propterea semper dico vobis, ut studeatis fovere bonas cogitationes, quas isthîc postmodum inveniatis. Si quis enim hîc aliquid habeat, illud ipsum cum eo egreditur, & isthic habiturus est.

Omni curâ studeamus & satagamus fratres ut ab istiusmodi necessitate liberemur, & Deus faciet nobiscum misericordiam suam: *Ipse enim est spes omnium finium terræ, & in mari longè.* Hi sunt in finibus terræ, qui sunt in perfecta malitia. Illi verò sunt in mari longè, qui in extrema versantur ignorantia. Et tamen Christus est spes talium. Parvo labore opus est, laboremus ut misericordiam consequamur.

Psal. 64. 6.

Si quis habuerit agrum, & neglexerit illum, atque culturam subtraxerit, numquid quantum ipsum negligit, tantum-

dem

dem spinis ac tribulis repletur? Quod si autem ad expurgandum illum accesserit, nónne quò magis spinis redundaverit, eò magis sanguine fluent manus eius, dum vult evellere malam illam herbam, quam permisit succrescere in tempore negligentiæ suæ? Fieri enim non potest, ut quis aliud metat quàm quod seminarit. Oportet autem eum qui optimè mundare agrum suum velit, primùm quidem radicitus herbas omnes malas evellere. Nisi enim rectè ac funditus omnes radices earum evulserit, sed tantùm superficie tenus eas amputaverit, rursus pullulant. Vult igitur, ut quis ipsas radices, sicut dixi, evellat; & postquam ritè agrum ab herbis malis ac spinis, tribulisque emundaverit, glebas invertat, & frangat atque aratro subigat, ac tum demum semen optimum spargat. Nam si postquam tantam industriam adhibuerit, otiosum vacare permiserit, pullulant actutùm herbæ, quæ terram illam mollem & benè subactam invenientes, radices suas altius iaciunt, & magis invalescunt, & in ipsa multiplicantur.

Mortificatio passionum necessaria.

Pari modo res animæ sese habet. Primùm quidem vult à se excidi omnem veterem affectum, & malas consuetudines. Hinc D. Basilius ait, haud parvum certamen esse sui ipsius superare consuetudines. Nam consuetudo longo tempore roborata, naturæ ut plurimùm vim obtinet. Vult igitur, ut quis certet, sicut

dixi,

dixi, contra malas consuetudines, & contra passiones, atque non solùm hoc, verùm etiam contra causas ipsarum, quæ sunt radices; nam nisi radices extirpatæ fuerint, necessè est spinas iterum excrescere. Sunt enim quædam passiones quæ nihil possunt, si quis causas earum amputaverit. Veluti invidia in se nihil est, sed habet quasdam causas quarum una est appetitus inanis gloriæ. Nam dum quis appetit honorari, invidet honorato, aut sibi in honore prælato. Similiter & ira oritur ex aliis causis, & potissimum ex amore voluptatis.

Quæ sint radices passionum.

Huius meminit Euagrius, dum narrat quemdam Sanctum dicere solitum: idcircò voluptates amoveo, ut occasiones iræ præcidam. Quin & omnes Patres uno ore asserunt quamlibet passionem trium horum nasci ex aliquo, scilicet, amore gloriæ, amore pecuniæ, vel amore voluptatis, prout diversis vicibus dixi. Vult igitur ut quis non solùm passiones, sed etiam causas earum extirpet, ac sic per pœnitentiam lacrymasque ritè mores componat suos, atque tunc incipiat seminare semen bonum, quæ sunt bona operá. Quoniam (ut de agro diximus) nisi quis bonum semen iecerit, emergunt herbæ malæ, quæ cùm bonam & ex culcultura mollem terram invenerint, altiores in ea radices agunt.

Sic etiam sese habent res hominis, si postquam mores suos rectè composuit,

ac de pristinis suis facinoribns pœnitentiam egit, bona opera exercere, & virtutes comparare neglexerit. Tunc enim fit in ipso iuxta illud Euangelicum: *Cùm immundus spiritus exierit de homine, perambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non inveniens, dicit: Revertar in domum meam unde exivi. Et cùm venerit, invenit eam vacuam*, videlicet omni virtute, *& scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi; & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Impossibile enim est animam in eodem statu permanere, sed promovetur semper sive in bono, sive in malo.

Non tantum à malo abstinendum sed etiam bonum faciendum.

Luc. 11. 24.

Proindè quisquis vult salvari, necesse habet, non tantùm malum non agere, sed & bonum operari, quemadmodum in Psalmo dicitur: c *Declina à malo, & fac bonum.* Non dixit: declina à malo tantùm, sed etiam fac bonum, verbi gratia: consueverat quis iniustus esse, [non solùm desinat esse iniustus] sed etiam iusta facere pergat. Si erat lascivus, vult non solùm, ut non lasciviat, sed etiam se continenter gerat. Si erat iracundus, vult non solùm ut non irascatur; verùm etiam mansuetudinem amplectatur. Si quis insolens erat, vult non solùm ut non insolescat, verùm etiam humilietur atque hoc est declinare à malo, & facere bonum. Quælibet enim passio habet oppositam sibi virtutem, superbia humilitatem;

c Psal. 36. 27.

tem; avaritia eleëmosynam; lascivia, continentiam; acedia patientiam; ira mansuetudinem; odium dilectionem. Vnaquæque absolutè passio (ut dixi) habet contrariam suam virtutem. Hæc sæpè dixi vobis.

Quemadmodum igitur virtutes expulimus & contrarias earum passiones induximus; ita vicissim nobis laborandum ut non solùm passiones eijciamus, verùm etiam virtutes introducamus easque loco suo proprio collocemus. Naturaliter enim habemus virtutes à Deo nobis donatas. Nam simul atque fecit Deus hominem, inseruit illi virtutes, quemadmodum ait: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem.* Ad imaginem dixit: quoniam incorruptibilem ac sui juris fecit Deus animam; *d* ad similitudinem vocat id quod est secundùm virtutem. Ait enim: *Esto misericors sicut & pater vester cælestis misericors est. Estote sancti, quoniam ego sanctus sum.* Et iterum Apostolus dicit: *Estote invicem benigni.* Et Psalmus ait: Bonus Dominus expectantibus eum, & quæcumque talia. Atque hoc sibi vult illud *ad similitudinem.*

Virtutes sunt natura humana insita.

Gen.1,26.

d

Luc.6.36.

Levit.11.44

Ephes.4.32.

Itaque naturaliter dedit nobis Deus virtutes; passiones verò non habemus naturaliter. neque enim habent substantiam aliquam, aut subsistentiam; sed sicut tenebræ non subsistunt secundùm substantiam, sed sunt passio circa aërem (ut ait magnus Basilius) privatione luminis

Passiones sunt præter naturam.

minis apparenter subsistens, eodem modo sese habent passiones. Anima per voluptatis amorem à virtutibus declinans viam stravit passionibus, easque contrá semetipsam roboravit. Igitur necesse est (sicut dixi) ut quemadmodum in agro, postquam omnem industriam ad eum excolendum contulerimus, statim bonum semen seminemus, quo deinde bonum fructum faciat.

Debet prætereà is qui seminat agrum suum, simul ac semen iecerit, obtegere illud, & profundè in terram ipsam demergere. Quoniam [alioquin] veniunt volucres, semenque rapiunt, ac perit: ubi verò illud absconderit, expectat Dei misericordiam donec pluviam mittat, & crescat semen. Etsi enim agricola innumeros impendat labores cùm in agro purgando, & industriè colendo, tum etjam seminando; nisi tamen Deus in sementem eius desuper compluerit, totus eius labor cassus abit. Ita & nos satagamus, ut si quid boni egerimus, illud per humilitatem obtegamus, & infirmitatem nostram in Deum proijciamus, rogantes eum, ut annuat labori nostro, ne invacuum abeat.

Rursus interdum accidit, ut post pluviam, & seminis germinationem, non decidat iterum pluvia tempore opportuno, & arescat germen ac pereat. Etenim ut semen, ita & germen indiget pluviâ quâ succrescat donec firmatum fuerit. Sed *Bona opera sunt humilitate conservanda.*

neque.

neque etiam posthæc securus esse quis potest. Nonnumquam enim etiam cùm excreverint & aristam fecerint, supervenit vel bruchus vel grando, vel aliud quippiam huiuscemodi quod fructum perdat & perimat. Sic etiam animæ usu venit. Quando enim quis strenuè laboraverit, eamque ab omnibus, uti diximus, passionibus emundaverit, & omnibus virtutibus studuerit, debet omninò ad misericordiam atque protectionem Dei attendere, ne ipsam derelinquat, & pereat. Nam, ut diximus de semine quòd etiam cùm germinaverit, & excreverit, fructumque fecerit, nisi rursus per intervalla temporis pluvia descenderit, exarescat & pereat.

Derelinquitur homo à Deo, cùm nō gerit se secundum statū suum.

Idem etiam homini usu venit à quo si postquam tanta fecerit, vel paululum protectionē suam averterit Deus, ipsumque dereliquerit, protinus perit. Derelinquitur autem homo, quando facit aliquid contra statum suum. ut si quis exempli gratia, cùm sit religiosus, delabatur ad vitam vulgarem; aut cùm esset humilis, insolens evadat; neque adeò deserit Deus hominem vulgarem, si vulgariter vivat, neque audacem, si insolenter se gerat; ut deserit hominem religiosum, cùm indifferenter seu vulgariter se gerit, & humilem dum insolescit. Hoc nempè est peccare quempiam contra statum suum; unde existit derelictio. Hinc D. Basilius aliter dijudicat peccatum religosi, & aliter

Religiosi peccatum gravius, quàm laici.

homi-

hominis vulgaris. Quando autem quis etiam ab hoc se custodierit, advertere debet ne bonum quamvis minimum faciat cum vana gloria, vel humana complacentia, vel quovis alio intuitu humano, & perdat illud ipsum exiguum bonum quod fecit, prout diximus de brucho, grandine, & similibus.

Rursus ut si nihil mali passa sit in terra seges, sed conservata fuerit illæsa usque ad messem, nequaquam tamen vel sic absque cura esse debet agricola. Nam accidit interdum, ut postquam quis agrum suum omnem messuerit, & laborem omnem exanclarit, veniat homo pravus odio & invidiâ accensus, & ignem immittat in fructum, omnemque hominis illius laborem & fructum perdat, donec ergò viderit se totum ritè purgasse & in horreum misisse, non potest esse securus. Ita & homo, cùm ex his omnibus quæ diximus, evadere potuerit, non debet proptereà securus agere. Contingit enim post hæc omnia, ut diabolus aliquid inveniat, quo ipsum decipiat, vel per iustificationes, vel per superbiam, vel per suggestiones infidelium cogitationum, aut hæreticæ pravitatis, & non solùm omnes labores eius perdat, sed ipsummet etiam à Deo separet: & si quid non potuerit ipsi per actionem, hoc facit ei per unicam cogitationem. Potest enim vel unica cogitatio quempiam à Deo separare, si videlicet eam susceperit, eique con-

Humilitate bona opera conservātur.

Diabolus potissimum fini nostro insidiatur.

ctorem non recognoſcit., facilè ad impatientiam, aut indignationem ſtimulatur. Vnde Paulus ad Hebræos ſcribens opportunè illis hoc in memoriam revocat: *Obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tamquam filijs loquitur, dicens: Fili mi noli negligere diſciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Hæc tamen conſolatio, licet vehementiſſima ſit, nihil aut certè parùm in ærumnis levat eos, qui non ſunt præſtanti quâdam virtute præditi, adeò magnum ſtuporem non ſolùm vitia atque flagitia, ſed etiam non benè ſedatæ perturbationes mentibus adferunt, uti in decurſu huius doctrinæ pluribus probatur, & oſtenditur.

NOTÆ CORDERI

Hebr. 12. 5.

b Ipſemet conſcientiæ remorſus, &c.] Hoc nempè primum neque minimum eſt peccati incommodum, quod tollit pacem vehementiſſimeque perturbat, vim animo inferente conſcientiâ, quæ horribilem metum & infandam undique perniciem intentat; nam ſubitò ac ſcelus hominem occupavit, ut Tiſiphone poëtica, ferro & flammâ & multiplici dracone cincta, furiali motu circumſiſtit, nec terrificus illius aſpectus & crudeles minæ vitari poſſunt. Hanc ſæculi quoque ſapientes ſummam eſſe criminum pœnam atque ultionem putant; tametſi alia nulla conſtitueretur, ut eleganter Iuvenalis Satyra 13.

Peccatorem ſua conſcia turbat, & cruciat.

Exem-

NOTÆ CORDERI

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori; prima est hæc ultio, quòd se
Iudice nemo nocens absolvitur, &c.

Quid inter declinare malum, & bonum facere intersit.

c *Declina à malo, & fac bonum.*] Licet declinare à malo quoddam bonum sit, est tamen inter hæc duo differentia, quòd iuxta Tertullianum lib. 1. ad uxorem cap. 3. *declinare à malo is dicitur, qui non facit quod obest: facere autem bonum dicitur, qui addit insuper quod prodest.* Atque adeò inter hæc duo præcepta differentiam istã explicat S. Hieronymus epist. 24. ad Celantiam, dicens: *priore præcepto improbari otium: posteriore imperari studium: ibi animum coërceri, hîc incitari: illic fecisse, hic non fecisse culpabile est.* Quòd enim damnatio immineat non solùm prohibitâ patrantibus, verùm etiam iussa prætermittentibus, S. Basilius homilia de iudicio probat.

Virtutibus Dei similitudo exprimitur.

d *Ad similitudinem vocat id quod est secunnùm virtutem.*] Ita quoque S. Gregorius Nyssenus in illud Psalmi: *Signatum est super nos lumen vultus tui*, per illud lumen vultus Dei, notis veluti & veluti lineamentis expressum in nobis, non aliud vult intelligi quàm virtutes, quibus inquit τὸ θεῖον εἶδος χαρακτηρίζεται, *divina species, & augusta illa forma exprimitur.* Hoc cecinit quoque Isaias, cuius ore loquens Deus, ait se pinxisse muros Ierusalem, hoc est animæ. Quod illustrat D. Ambrosius lib. de bono mortis dicens: *Virtutibus imago Dei acquiritur; ideo qui nos*

Psal. 4. 7.

Isa. 49.

pinxit

pinxit quasi auctor, pinxit virtutum coloribus. Ecce inquit ad Ierusalem, pinxi muros tuos. Non detergamus penicillo negligentiæ depicta animæ nostræ muralia, &c. Et in Hexaëmeron lib. 6. cap. 7. cùm eumdem Vatis locum attulisset: *Illa*, inquit, *anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam renitentem, splendoremq; pietatis.*

NOTÆ CORDERI

INSTITVTIO XIII.

DE TENTATIONIBVS FVFFERENDIS.

Monacho tentationes constanter ferendæ.

PRæclarè dixit Abbas Pastor, signum monachi in tentationibus apparere. Debet enim monachus qui cum veritate ad serviendum Domino accedit, juxta Sapientiam præparare animam suam ad tentationes, ne in his quæ accidunt percellatur umquam, aut perturbetur, certò credens nil fieri absque Dei providentia. ubi autem Dei providentia est, prorsus bonum & ad utilitatem animæ est id quod fit. *a* Omnia enim quæcumque nobiscum agit Deus pro utilitate nostra facit, cùm nos diligat, nobisque parcat. Quare in omnibus (ut ait Apostolus) eius bonitati gratias agere debemus, nec umquam animum abijcere aut despondere in his quæ nobis accidunt, sed cum humilitate ac spe in Deum imperturbatè suscipere quidquid advenerit, certò persua-

Eccli. 2. 1.

a

Deus omnia disponit in bonum nostrum.

si (ut dixi) Deum omnia quæcumque nobiscum agit, pro bonitate sua, & ex amore nostri, ac rectè facere, neque aliter ipsa rectè fieri potuisse, nisi hoc modo Deus fuisset nostri misertus.

Si quis amicum habeat, & certissimus sit ab eo se diligi, quamquam aliquid ab eo patiatur interdum molesti, id tamen putat amanter factum, nec umquam credit sibi ab amico parari damnum: quantò magis Deum qui nos formavit, & è nihilo in rerum naturam produxit, & propter nos homo factus, ac pro nobis mortuus est, omnia nobiscum pro bonitate sua & amore nostri facere credendum est. Et amicus quidem cogitari possit vel amore vel conniventia mei quidquam agere: sed non omninò etiam tantâ pollere prudentiâ ut res meas gubernare commodè valeat, adeoque etiam nolens fortasè mihi noceat: de Deo autem non possumus hoc dicere, ipse enim fons est sapientiæ, novitque omnia quæ nobis conducunt, atque insuper usque ad minutissima quæque nostra disponit.

Deus omnia agit ex amore.

Liceat item de amico dicere ipsum quidem me diligere, ac mecum connivere, sciteque res meas administrare: veruntamen carere opitulandi facultate in his quæ mihi commoda fore iudicat. Sed nec hoc de Deo dicere possumus. Omnia enim ipsi possibilia sunt, & nihil impossibile est in conspectu eius. *b* Cùm igitur sciamus Deum nos diligere & curam habere

b

Deo in omnibus acquiescendum.

bere sui plasmatis, ipsumque esse fontem sapientiæ, ac quo res nostræ pacto dirigendæ sint, probè nosse, nihilque ipsi esse impossibile, sed omnia eius subservire voluntati. sciendum quoque ipsum omnia quæcumque agit, pro utilitate nostra facere, adeoque illa cum gratiarum actione (uti prædiximus) suscipienda esse tamquam à benefactore, bonoque Domino, quantumvis molesta fuerint. Omnia enim iusto judicio fiunt, neque tam misericors Deus despicit afflictionem quæ nos premit.

Ceterùm sæpenumerò dubitat quis in semetipso dicens: quod si in malis ingruentibus ex afflictione quis peccet, quomodo possit credere hoc è re sua esse? Certè in istiusmodi ingruentiis minimè peccamus, nisi quia laboris impatientes sumus, & parvam aliquam afflictionem ferre, vel præter intentionem nostram quidquam perpeti nolumus. Quoniam non sinit Deus evenire nobis quidquam supra vires nostras, ut ait Apostolus: Fidelis Deus qui non patietur nos tentari supra id quod possumus. Sed nos sumus, qui patientiam non habemus, neque paululùm laborare volumus, neque cum humilitate aliquid suscipere sustinemus, quamobrem conterimur, & quantùm tentationes effugere studemus, tantùm nobis ipsis graves sumus, & pusillanimes evadimus, neque nosmetipsos extricare possumus.

Patientia necessaria.

1. Cor. 10. 13

Vir patiens comparatur cum perito urinatore.

Sunt nonnulli qui ex necessitate aliqua in mari natant, & si quidem periti sint urinandi cùm contrà eos unda venerit, molliter illi se submittunt, donec pertransierit, ac deinde sine nocumento natare pergunt: si verò undæ reluctari voluerint, utique expellit eos & ad longum spatium eiaculatur. Rursus cùm natare incipiunt, supervenit iis alia unda, cui si iterum obnitantur, hæc iterum expellit eos, cumque nihil proficiant, tantummodo conteruntur. Si verò (ut dixi) undæ se submitterent, & sub eadem humiliarent, præteriret illa, nec eos omninò læderet; sed natando pergerent quò vellent, & opus suum perficerent. Idem etiam in tentationibus usu venit. *c* si quis enim tentationem cum patientia & humilitate sustinuerit, absque damno transit: si autem affligi, turbari, atque unumquenque accusare perrexerit, semetipsum cruciat, graviorem que sibi reddens ipsam tentationem, loco lucri exinde damnum refert. Plurimùm enim prosunt tentationes imperturbatè ipsas sustinenti.

Tentationes patientiâ superandæ.

Ceterùm etsi passio nos infestet, perturbari nos propterea non debemus. Quod enim quispiam à passione agitatus perturbetur, argumentum ignorantiæ est atque superbiæ, eo quòd suam ipsius conditionem non noverit, & laborem subterfugiat, uti Patres tradiderunt: proptereà non proficimus quia mensuras nostras ignoramus, neque in opere cœpto per-

perseveramus, sed absque labore virtutem obtinere volumus. Cur enim is qui passionibus obnoxius est, miratur se à passione exagitari? Quare perturbatur, cùm exercuit passionem? Habes ipsam, & turbaris? Pignora ejus habes, & ais, quare me conturbat? Potiùs sustine, certa, Deum invoca. Nam impossibile est eum non habere molestiam passionum, qui in earum actum incidit. Vasa ipsarum (sicut dixit Abbas Sisoes) intra te sunt, da illis pignus suum, & abeunt. Vasa dixit causas. Quamdiu igitur has dilexerimus, atque exercuerimus, impossibile est nõ captivari nos à vitiosis cogitationibus, quæ cogunt nos etiam nolentes exercere passiones, quandoquidem sponte nosmetipsos in manus earum tradiderimus.

Tentationes oriuntur ex consensu passionibus dato.

Hoc est quod ait Propheta de Ephraim superante adversarium suum, id est propriam conscientiam, & conculcante judicium, quoniam quæsivit Ægyptum, & vi comprehensus est inter Assyrios. Ægyptum vocant Patres carnalem voluntatem, quæ nos ad corporalem quietem inclinat, & mentem docet vacare voluptati: Assyrios verò appellant vitiosas cogitationes, quæ mentem perturbant & confundunt, atque spurcis replent, imaginationibus, eamque vi etiam nolentem ad actum peccati adigunt. Si quis igitur spontè semetipsum addixerit corporis voluptati, cogitur etiam nolens vi trahi ad Assyrios, atque

Nabuchodonosori servire. Quod cùm Propheta cognovisset affligebatur, ipsisque dicebat: *Ne descendatis in Ægyptum; quid facitis miseri, humiliamini parumper. Inclinate humerum vestrum, & operamini Regi Babylonis, & sedete in terra Patrum vestrorum.* Rursùs excitat eos, dicens: *Ne timeatis à facie eius, quia nobiscum est Deus, ut eruat nos de manibus eius.* Deinde prædicit etiam adventuram ipsis afflictionem, si Deo non obediverint; *Si enim,* inquit, *ingressi fueritis in Ægyptum, eritis in invium & subditi, & in maledictionem, & in opprobrium. Et dicunt ei illi: Non sedebimus in terra hac, quia in Ægyptum ingrediemur, & non videbimus bellum, & vocem tubæ non audiemus, & in panibus non esuriemus.* Descenderunt itaque & ultrò servierunt Pharaoni: Postmodùm vi adducti sunt ad Assyrios, & servierunt illis etiã nolentes.

Ierem.42.

Advertite animum vestrum ad id quod dictum est. Antequam quis passionem opere expleat, etsi cogitationes adversus eum militant, tamen in sua civitate adhuc liber est, & Deum habet opitulantem sibi. Si igitur Deo sese humiliaverit, & jugum afflictionis atque tentationis, cum gratiarum actione sustulerit, ac parumper certaverit; auxilium Dei eripiet eum. Si verò laborem subterfugerit, & in voluptatem corporis sese immerserit; tunc vi ac necessitate abducitur in terram Assyriorum, & servit illis etiam nolens.

Baruch.1.11 Tunc deinceps ait iis Propheta: *Orate pro*

pro vita Nabuchodonosor, quoniam vita eius est salus vestra. Nabuchodonosor idem est quod non deficere quempiam in afflictione alicuius tentationis supervenientis, neque recalcitrare, & à se illam excutere; sed cum humilitate, ferre & pati illam instar debitoris, ita ut censeat se indignum qui isto onere liberetur, sed dignũ potius ut tentatio duret, atq; adversus ipsum convalescat, sive sibi conscius sit causæ, quod ad præsens, sive non sit conscius illius: credens nihil absque judicio, nihilque iniustum esse apud Deum. Quemadmodum frater ille mœrens ac flens, quia Deus ab eo abstulerat tentationem, dicebat: Domine non sum dignus affligi parumper? Item scriptum est: discipulum magni senis incitatum fuisse ad fornicationem, ac senem cùm vidisset illum laborantem, dixisse ipsi: vísne rogem Deum ut pugnam hanc tibi reddat leviorem? Cui ille respondit: etsi laborem Abba, video tamen ex labore fructum in me redundare. Quare Deum potius ora, ut mihi patientiam largiatur.

Tentationum felicitas.

Ecce hi sunt qui seriò salvari volunt. Hoc est portare jugum cum humilitate, & orare pro vita Nabuchodonosor; quapropter dicit Propheta: *quia in vita eius salus vestra.* Quod ergo frater ait: video fructum in me ex labore: simile est ac si diceret: in vita eius salus mea, quemadmodum etiam senex ipsi declarat, dicens: hodie cognovi quòd proficias, & me superes.

Humilitate vincuntur tentationes. peres. Cùm enim quis infestatur ac provocatur ad actum peccati, atque etiam vitiosis animi cogitationibus repugnare cœperit: humiliatur, conteritur, certat, & per afflictionem certaminum paulatim purgatur, & redit ad statum naturæ consentaneum.

Itaque, ut diximus, ab ignorantia & superbia quis turbatur, quando à passione agitatur, cùm potius mensuram suam humiliter agnoscere deberet, atque in oratione perseverare, donec Deus cum illo faciat misericordiam suam. Nisi enim tentatus quis fuerit, noveritque afflictionem passionum, numquam contendit ut mentis obtineat puritatem. De tali Psalmus ait: *Psal 91.8.* *Cùm exorti fuerint peccatores sitùt fœnum, & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem, ut intereant in sæculum sæculi.* Peccatores qui ut fœnum oriuntur, sunt cogitationes turbulentæ. Fœnum enim est infirmum, & viribus caret. Quando igitur exortæ fuerint in anima cogitationes pertnrbatæ, tunc emergunt, id est, apparent omnes qui operantur iniquitatem, id est passiones vitiosæ, ut intereant in sæculum sæculi. Cùm enim passiones modò dictis apparuerint, statim ab ipsis perimuntur.

Tentationum origo, & gradus. Considerate sermonis consequentiam. Primùm oriuntur vitiosæ cogitationes, deindè emergunt passiones, quæ denique sic exterminantur. Hæc omnia certantium sunt. Hos autem dum peccatum

actu

actu perpetramus, atque assiduè passiones consectamur, neque scimus quando cogitationes vitiosæ oriantur, neque quando passiones appareant, ut adversus ipsas decertemus; sed adhuc deorsùm hæremus in Ægypto, in miserabili laterificio Pharaonis. Et quis dabit nobis etiam in amaræ servitutis nostræ sensum devenire, ut humiliemur, & misericordiam consequi studeamus.

Quando filij Israël erant in Ægypto, & Pharaoni serviebant, laterificium exercebant. Laterifices autem, dum operantur semper deorsum incurvantur in terram intendentes; sic & anima se habet, cùm diabolo subiecta fuerit, atque peccatum opere compleverit. Tunc ipse conculcat prudentiam eius, nec eam spiritale quidquam cogitare sinit, sed facit illam semper terrena sapere & exercere. postmodùm è lateribus quos confecerant ædificaverunt ei tres civitates munitas Pitho, Ramessem, & On, quæ est Heliopolis. *d* Hæ autem sunt luxuria, inanis gloria, & avaritia è quibus omne peccatum constat.

Tentatio cōparatur laterificio. Exod. 1.

Exod. 1, 11.

d. *Tres peccatorum fontes.*

Cùm verò Deus misisset Moysem, qui educeret eos ex Ægypto & de servitute Pharaonis, magis eos operibus aggravavit, dicens: *Vacatis, otiosi estis, propterea dicitis, abeamus, sacrificemus Domino Deo nostro.* Similiter & diabolus, cùm jam Deus annuit misereri animæ, ipsamq; per verbum uum, aut quempiam servorum suorum à

Exod. 5, 17.

Diabolus Pharaoni similis.

passionibus sublevare decrevit, tunc & ipse passiones magis adversus eam gravat, ipsamque oppugnat vehementius.

Patres autem cùm hoc habeant exploratum, per doctrinam suam hominem confirmant, nec inimicum ei sinunt esse formidini. Hic quidem dicens: cecidisti? surge, & si iterum cecideris, resurge denuò; & sic deinceps. Alius verò rursus ait: fortitudo illorum qui virtutes obtinere volunt in eo sita est, ut si ceciderint, non sint pusillo animo, sed iterum resipiscant, idque quilibet eorum absolutè satagat excellenter. Alius item certantibus, & ab hoste afflictis manum præbet. Hoc enim ipsi è divina Scriptura hauserant, quæ ait: *Numquid qui cadit, non resurgit? aut qui avertit se, non revertitur? Convertimini ad me filij, & ego sanabo contritiones vestras, dicit Dominus* & quæcumque sunt huiusmodi.

Peccatori semper sperandum. & resurgendum.

Ier. 8. 4.

Vt autem aggravata fuit manus Dei super Pharaonem, & super servos eius, & voluit dimittere filios Israël, dicit Moysi: *Ite sacrificate Domino Deo vestrò: verumtamen oves vestras, & boves vestros relinquite.* quæ significant mentis cogitationes, quibus Pharao volebat dominari, per eas denuò sperans filios Israël ad se pertrahere. Et dicit illi Moyses ibidem: nequaquam: *sed & tu dabis nobis hostias & holocausta, quæ offeramus Domino Deo nostro, & pecora nostra ibunt nobiscum, & non relinquemus ne quidem ungulam.* Ut autem eduxit Moyses Filios Israël è terra Ægypti, traduxit

Exod. 10. 24

Ibid. 25.

Exod. 15. Num. 33.

duxit eos per mare rubrum, volens ipsos ducere ad septuaginta trũcos palmarum, & ad duodecim fontes aquarum, primùm duxit eos in Meram, ubi affligitur populus non inveniens potum, quòd aqua esset amara. Et ex Mera duxit eos in locum septũaginta palmarum, & duodecim fontium aquarum.

Sic & anima, quando cessaverit ab actu peccati, ac mare spirituale pertransierit; primùm debet luctas & tribulationes plurimas sustinendo laborare, atque ita per afflictiones in sanctam requiem introire. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Tribulationes enim movẽt misericordiam Dei in animam sicut venti pluviam. Et quemadmodum pluvia nimis copiosa decidens, si gernen adhuc tenerum sit, ipsum putrefacit, ac fructus eius perit, venti autem ex parte desiccant, & corroborant ipsum. Sic etiam fit in anima, quam remissio, & incuria, & requies languere faciunt, & effundunt; tentationes verò adstringunt; & ipsi Deo uniunt, quemadmodum Propheta dicit: *Domine in tribulatione recordati sumus tui.* Itaque (ut diximus) non oportet nos turbari neque torpescere in tẽtationibus, sed eas sustinere, & in afflictionibus gratias agere, Deumq́; assiduè deprecari in humilitate, ut faciat cum imbecillitate nostra misericordiam; & ab omni tentatione nos protegat ad gloriam suam. Amen.

Act.14.22.

Tentationes comparantur ventis, plantas firmantibus.

Isa.33.

NOTÆ

NOTÆ CORDERI.

Deus omnia pro utilitate nostra facit.

a *Omnia enim quæcumque nobiscum agit Deus, pro utilitate nostra facit.*] Hoc facilè intelligi potest, si potentiam illius consideremus, amoremque erga nos, æternamque benevolentiam, quæ gemina sunt elementa fiduciæ, & tamquam poli duo, quibus omnis Dei voluntas benefaciendi & tuendi vertitur. Cùm enim potentissimum & optimum sive beneficentissimum audimus, qui possit, & maximè velit præsidio nos tueri suo, atque defendere; non est opus alio argumento, ad excitādam animi nostri spem, totamque in eum referendam. De potentia Numinis infinita, quâ valet quidquid vult, & sine ullis limitibus & cancellis omnia potest, non est dubitatio; cùm ipsam mundi huius tam immensi è nihilo conditura satis manifestet. Cur autem juvare homines cupiat, & humanissimè recreare, cùm plurima docent, tum præsertim ratio providentiæ, quæ summi Principis, & benevolentissimi genitoris est propria. Sumus Dei possessio, clientes opulentissimi Regis, filij magni Imperatoris: quid esse causæ potest, cur nōn omnem animorum fiduciam in illum conijciamus? Haudquaquam sanè hoc exiguum est ad partem laudis & providentiæ, esse Dei possessionem. *Qui enim possidet* (inquit S. Chrysostomus in Psal. 138.)

κήδεται ϗ προνοεῖ, & curam gerit, & providet. Huc accedit illa magnifica Dei apud Isaiã pollicitatio, ad spem & fiduciam erigentis: *Noli timere, quia te redemi, & vocavi te nomine tuo, meus es tu.* Quæ verba dulcissima sunt, & mirificâ iucunditate complent animum, Res Dei sumus, ad illum pertinemus, nocere nobis nemo potest, quin eo ipso Dei potentiam irritet, majestatem violet. *Meus,* inquit, *es tu*, singulari quadam ratione, non eo tantùm modo, quo cælum & terra ipsius sunt, quòd Demiurgus & architectus sit omnium: sed quia, inquit, *redemi te, noli timere.* Cruor ipse purpureus Agni immaculati, pretium illud immortale, & incomparabile, quod nisi Deus æquare nihil potest; gemmantes illæ in corpore sancto plagæ, aureum pignus infiniti sui erga nos amoris, oculis Genitoris ablatæ, & pium cor expugnantes, altè clamant: Noli timere, & ut ait D. Cyprianus de exhortatione martyrij cap. 10. *securitatem nobis, & protectionem pollicentur.*

NOTÆ CORDERI

Isa. 43. 1.

b Cùm igitur sciamus de Deo, quòd nos diligat, &c.] Quisquis vim huius argumenti, à Dorotheo propositi, capit; quisquis afflictionum suarum omnium auctorem Deum cognoscit, & toto id animo credit, Deum ab æterno voluisse, & etiamnum certissimè velle, ut patiatur id omne quod patitur, hîc sanè in ærumnis etiam gravissimis Dei voluntatem amplectetur, divinam manum osculabitur, dicetque: hoc omne

Accipere afflictionem de manu Dei magnum adfert solatiũ.

NOTÆ CORDERI omne quod patior, à Dei manu est, à Deo auctore est: igitur & promptè & placidè patiendum est. Hic talis, hâc veritate imbutus nullis umquam miseriis, calamitatibus nullis succumbet. Neque enim adeo ingratum esse poterit, quod tam grata obtulerit manus. Attentissimè igitur contemplemur adversa nobis omnia provenire à supremo & æquissimo judice Deo. Non ergò ærumnarum nostrarum causam in non causam referamus; *quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque à desertis montibus* ærumnæ veniunt, *quoniam Deus Iudex est: hunc humiliat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus misto: & inclinavit ex hoc in hoc.* Hunc nempè solatur Deus, hunc affligit. Miseriarum omnium & afflictionum calix in manu Dei est, dominicus hic calix vino mero meaco, sed tamen misto, plenus est. Neq; enim unius, sed diversi generis vinum huic calici est infusum. Sed bono animo sint quibus iste calix propinatur. Nam inclinat Deus ex hoc in hoc, scilicet calicem justitiæ in calicem misericordiæ, & calicem misericordiæ in calicem justitiæ, quia non facit justitiam sine misericordia, neque misecordiam sine justitia, sed superexaltat misericordia judicium.

Psal. 74. 7.

c Si quis tentationem cum patientia & humilitate sustinuerit, absque damno transit.]

Luc. 21. 19. Iuxta illud Christi apud Lucam: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Impatiens

patiens tantùm abest, ut se suaque possideat, ut etiam tam sua, quàm seipsum perdat, impos sui, suorumque vitiorum servus. Hinc Iobus iure interrogans: *Quid perdis*, inquit, *animam tuam in furore tuo?* Impatiens libertatem indulget felli; sed ita liberam rationem velut per fenestras præcipitat. Indè multiplex rerum iactura. At verò patiens & se, & sua sibi servat; vel fortissimis fortior, Salomon id affirmans: *Melior est*, inquit, *patiens viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium*. Siquidem homo patiens, non tantùm os atque manum, sed & cogitationes in statione continet. Patientiâ prohibetur ira; restringuntur animi, manus petulantia comprimitur, linguę venenum eximitur, uti fusè & eleganter probat Drexelius in Gymnasio patientiæ, manifestè ostendens istud dominium animi à nemine posse obtineri, nisi patientiâ, cuius definitio hæc est: *Rerum quæcumque homini aliundè accidunt, aut incidunt, voluntaria & sine querela perpessio.*

NOTA CORDERI *Patiens possidet animam suam, quam perdit impatiens.* Iob. 1. 4. Prov. 16. 32.

d Hæ autem sunt, luxuria, inanis gloria, & avaritia] Tres vitiorum fontes præcipuos assignat, quos toto orbe nimis latè diffusos dilectus Deo Ioannes conqueritur; *Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Sine dubio tres impuri fontes, qui in omne sordium genus ebulliunt, tres radices infelicium arborum, unde mala propè infinita pullulant.

Tres fontes vitiorum. Ioan. 2. 16.

In

mus. Oportet enim eum qui domum condere desiderat, undique illam præmunire; atque à quatuor lateribus ædificium attollere, & non unius tantùm partis curam gerere, alias verò negligere, quoniam sic nihil proficeret, sed & scopum, & impensas, & laborem omninò in vanum faceret. Idem est & in anima: quare *a* opus est ut homo nullam ædificij sui partem negligat, sed æqualiter & congruenter illud erigat.

Hoc est autem quod Abbas Ioannes ait: vellem ego hominem assumere pauxillum quid cuiuslibet virtutis, & non ut aliqui faciunt, unam tantùm virtutem amplecti, & in ea hærere, eamque solam exercere, cæteras verò negligere. fortassis enim aliquam in ea virtute jam obtinent excellentiam, ob quam non adeo contrariâ illius passione vexentur, cùm interim aliis passionibus corripiantur & opprimantur, nec id ipsis curæ sit, sed se magni quippiam habere putent. Hi autem similes sunt ædificanti murum quempiam, eumque quoad fieri potest attollenti, qui cùm ad muri illius altitudinem attendit, se magnum quid fecisse arbitratur, & non considerat murum illum, vel unico vento vehementiùs ingruente prostratum iri. solus enim stat, nec habet cum aliis muris connexionem, neque potest quis ex uno muro sibi tectum facere, siquidem ex omnibus alijs partibus nudatus est. Verùm non ita facto opus

Non una tantùm sed omnes virtutes comparandæ sunt.

est

est. Quin potius, qui vult ædificare domum suam, & sibi tectum struere desiderat, is ex omni parte ædificare, atque ipsam undique munire debet.

Ratio ædificandi domũ spiritualem.

Modum edissero. Primùm debet jacere fundamentum, quod est fides, *sine fide enim* (ut ait Apostolus) *impossibile est placere Deo.* atque ita deinceps huic fundamento congruens superstruere ædificium. *b* Occurrit obedientia? adijcere unum lapidem obedientiæ. Accidit aliqua fratris irritatio? debet adijcere unum lapidem longanimitatis. Occurrit continentia? debet adijcere unum lapidem continentiæ. Atque hoc modo ex qualibet virtute occurrente lapis aliquis ædificio adijciendus est, quod sic in circuitu assurget, per unum lapidem commiserationis, per unum lapidem recisæ voluntatis, per unum lapidem mansuetudinis; &c. Porrò in his omnibus patientiæ ac fortitudinis curam gerere debet. Siquidem virtutes istæ anguli sunt quibus ędificium constringitur, & paries parieti unitur, sic ut muri minimè declinent, nec ab invicem divellantur. Quoniam absque his nullam quis virtutem valet perficere. Nisi enim quis in anima fortitudinem habuerit, minimè patiens erit; & si patientia non adfuerit, nemo potest omninò rectè quid agere. Hinc ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

Heb. 11. 6.

Patientia & fortitudo, sũt lapides angulares ædificij spiritualis.

Luc. 21. 19.

Debet similiter is qui ædificat, quemlibet lapidem cum cæmento adjicere: si

enim

enim lapidem ſuper lapidem ſine cæmento iecerit, lapides confringuntur, & domus corruit. Cæmentum eſt humilitas, quoniam de terra eſt quæ pedibus omnium ſubijcitur. Omnis enim virtus quæ fit abſque humilitate, non eſt virtus, ſicut dicitur in libro ſeniorum. Quemadmodum ergò impoſſibile eſt navem ſine clavis fabricari, ita impoſſibile eſt abſque humilitate ſalvari, Debet igitur is qui boni quidquam agit, illud agere cum humilitate, ut per humilitatem id quod factum eſt, conſervetur. *Humilitas eſt inſtar camenti ædificio ſpirituali.*

Debet etiam domus habere quædam veluti cingula, quæ colligationes nuncupantur; pro iis eſt diſcretio, quæ domum confirmat, & lapidem lapidi jungit, atque ædificium conſtringit, cui & multum decoris addit. Tectum autem eſt charitas, quæ ut tectum domus, ita virtutum perfectio eſt. Poſt tectum tandem eſt corona domus. *Diſcretio eſt velut cingulum.* *Charitas tecto comparatur.*

Quid ſit hæc corona domus etiam in lege ſcriptum eſt; Si ædificaveritis vobis domum, & feceritis ei tectum, facite coronam tecto, ne pueri veſtri de tecto cadant. Corona eſt humilitas, hæc enim eſt quæ coronat & cuſtodit omnes virtutes. Et quemadmodum unaquæque virtus cum humilitate fieri debet eo modo quo diximus, quemlibet lapidem poſt cæmentum collocari, ita etiam conſummatio virtutis indiget humilitate, unde & Sancti naturaliter proficientes, ad humilita- Deut. 22. 8. *Humilitas eſt corona in tecto ſpirituali.*

litatem tendunt, ſicut aſſiduè vobis dico, quantò magis quis appropinquat Deo, tantò magis ſe videt eſſe peccatorem. Qui ſunt autem parvuli, de quibus lex ait, ne de tecto cadant? Parvuli iſti ſunt cogitationes, quæ in anima gignuntur, quas oportet cuſtodire per humilitatem, ne ab ipſo tecto decidant.

Cogitationes ſunt parvulis comparatæ.

Ecce domus (quam diximus eſſe perfectionem) conſummata eſt cùm habet colligationes, habet tectum virtutum. Ecce & corona, atque abſolutè loquendo tota domus perfecta eſt. Numquid ei quidquam deeſt? Vnicum profectò eſt quod omiſimus. Quod porrò iſtud? Vt ſcilicet architectus ſit etiam peritus; niſi enim peritus ſit, ædificium vitiat, & aliquando domus ruit. Ille autem peritus eſt, qui agit ex ſcientia.

Diſcretio eſt neceſſaria in omni actione.

Nonnumquam enim accidit, ut quis etiam laborem virtutis faciat, ſed quia ſine ſcientia procedit, eumdem deſtruat, aut anceps hæreat, & non inveniat quo pacto ſuum opus abſolvat, ſed dum unũ lapidem ponit, eumdem tollit.

Eſt & alius qui unicum mittit & duos aufert. Exempli cauſa: ecce venit frater tuus, & dicit tibi verbum, quo te affligit, aut pungit, & taces, & veniam petis. Ecce lapidem unum appoſuiſti: poſtmodùm abis, & dicis alteri fratri: ille me injuriâ affecit, & hoc & illud mihi dixit, & non ſolùm tacui, ſed etiam veniã poſtulavi. En lapidẽ unum poſueras, & duos abſtuliſti.

Ruſ-

Rurſus petit quis veniam, volens inde honorari; & invenitur humilitas cum vana gloria: hoc utique eſt lapidem unũ ponere & illum ipſum auferre. Qui autem ex ſcientia veniam petit, ſeriò ſibi perſuadet, ſe erraſſe, & certò credit, ſe eſſe reum, quod eſt cum ſcientia veniam poſtulare. *Humilitas ſincera eſſe debet.*

Alius exercet ſilentium, ſed non in ſcientia. Credit enim talis ſe virtutem facere, ſed nihil facit: qui autem in ſcientia ſilet, talis credit ſe indignum qui loquatur, quemadmodum Patres dicebant, atque hoc eſt ſilentium in ſcientia.

Rursùm aliquis ſemetipſum non metitur, & magnum quid agere ſe arbitratur, ſeque ſe humiliare, & neſcit ſe nihil obtinere, cùm ſine ſcientia hoc agat. Metiri autem ſemetipſum cum ſcientia, hoc eſt cenſere ſemetipſum nihil eſſe, & indignum qui inter homines computetur: quemadmodum Abbas Moyſes ſibimetipſi dicebat: nigra pellis cinericia, cùm non ſis homo, quid venis in medium hominum?

Rurſus miniſtrat quis ægroto, ſed mercedis gratiâ miniſtrat, neque etiam hoc eſt cum ſcientia. Hinc ſi quid ipſi poſteà moleſtum acciderit, facilè à bono ſuo opere deſiſtit, & non conatur illud perficere, quia non agit cum agnitione. Qui autem cum cognitione miniſtrat, proptereà miniſtrat, quia habet affectum commiſerationis, quia poſſidet viſcera

misericordiæ. Qui enim huiusmodi scopum habet, quidquid ipsi contigerit, sive id fuerit afflictio extrinseca, sive ipsemet infirmus ipsum contempserit, imperturbatè sustinet, proprio attendens scopo, & probè sciens ægrotum ipsi maius referre beneficium, quàm ab ipso receperit.

Infirmis ministrare prodest ad castitatem.

Certò credite illum qui cum scientia ægroto ministrat, à passionibus quoque & impugnationibus relevari. Novi equidem fratrem à turpi concupiscentia oppugnatum, dum cuidam dysenteriâ laboranti cum scientia ministraret, ab impugnatione fuisse liberatum; & Evagrius de quodam magno sene narrat, eum fratrem quempiam istiusmodi imaginationibus liberasse, præcipiendo illi ut infirmis cum ieiunio ministraret. Atque huius rei rationem interrogatum respondisse; nihil æquè huiuscemodi passiones extinguere, ac misericordiam.

Si quis item sese exerceat aut propter vanam gloriam, aut blandiens sibi de actu virtutis, neque talis se cum scientia exercet; propterea incipit fratrem suum contemnere, putans seipsum aliquid esse, & invenitur non solùm unum lapidem iacere ac duos auferre, verùm etiam periclitari ne totum murum deijciat, quia proximum iudicat. Qui autem cum discretione sibi moderatur, non existimat se virtutem exercere, *e* neque ut asceta laudari cupit; sed credit per istam continentiam se obtinere mentis sanitatem, per

quam

quam pervenit ad humilitatem, quemadmodũ Patres aiunt viam humilitatis esse labores corporales cum discretione, &c.

Denique sic oportet quemque virtutem quamlibet exercere, ut illam possideat, & eius habitum acquirat, atque bonus & peritus (ut diximus) architectus inveniatur, qui cum securitate domum propriam ædificare possit. Quisquis igitur juvante Deo ad huiusmodi statum pervenire desiderat, non debet dicere adeo magnas esse virtutes, ut ad eas pertingere non valeat. Hoc enim est, vel non sperantis in auxilium Dei, aut boni quidpiam aggredi detrectantis. Quoniam qualemcumque tamdem velitis virtutem, si eam exerceamus, videbitis in nostra esse potestate rectè agere. Ecce Scriptura dicit: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Noli attendere quantum absis à virtute, ne incipias animo deficere ac dicere: quomodo possim amare proximum sicut meipsum? Quomodo possim eius afflictiones curare tamquam meas, & maximè in eius corde occultas, quas neque video, neque cognosco, ut meas? Ne occupes temetipsum hisce cogitandis, *d* neque virtutem nimis arduam & difficilem esse arbitreris; sed ex nunc ipsam auspicare fretus Deo, cui si propositum studiumque tuum exhibeas, videbis illicò auxilium quod tibi præbebit ad virtutem ritè perficiendam.

Virtutes exercitio comparantur.

Matt. 5.

Pusillanimes cogitationes fugiendæ.

d

Exempli gratia suppone binas esse scalas

las, quarum una in cælum sursùm tendat, altera deorsùm vergat ad infernum, teque inter ambas scalas medium in terra constitutum, Numquid voles tecum cogitare ac dicere: Quomodo evolare possim à terra, atque subitò in apice huius scalæ inveniri? Etenim hoc fieri non potest, neque hoc abs te postulat Deus; sed cave prius ne deorsùm descẽdas, ne proximo malum irroges, neque ipsum percutias, neque ipsi detrahas, neque calumnieris aut contemnas eum: & sic tamdem incipe etiam sensim benè mereri de fratre tuo, sermone medendo, illi compatiendo & si re quapiam indiguerit, eam ipsi largiendo, & sic gradatim ascendens, adjuvante Deo tamdem ad scalæ fastigium pertinges. Ex hoc enim quòd paulatim proximo opituleris, eò etiam progrederis ut velis id quod ipsi conducit, æquè ac tibi, atque utilitatem eius non secus ac tuam optes: & hoc est: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*

Quomodo scala perfectionis scandenda sit.

Matt. 22. 39

Si quæsiverimus, inveniemus, & si Deum rogaverimus, illuminabit nos. Ait enim in Euangelio: *Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis; pulsate, & aperietur vobis.* *Petite*, inquit, ut per orationem flagitemus. *Quærite* verò dictum est, ut investigemus quo pacto virtus hæc adveniat, quidnam sit quod eam afferat, quid agere debeamus, ut eam possideamus. Ita singulas virtutes perscrutari, est istud: *Quærite & invenietis. Pulsate* verò est præcepta

Luc. 11. 9.

Quid sit petere, quærere, & pulsare.

cepta opere implere. Quicumque enim pulsat, manibus pulsat; manus autem sumuntur pro operatione. Debemus igitur non solùm petere, sed etiam quærere & facere, satagentes, ut (iuxta dictum Apostoli) ad omne opus bonum parati simus. Tit. 3. 1.

Quid est, *parati simus*? Quando quis navim fabricare cupit, primùm præparat omnia quæ ad eam necessaria sunt, etiam usque ad parvos clavos, & exiguam picem, & exilem stupam Similiter & mulier si textrinam erigere voluerit, omnia præparat etiam usq; ad minimum filum: idque dicitur præparatio, scilicet habere omnia parata, quæ ad rem sunt necessaria. Sic ergò dixit: ut & nos parati simus ad omne opus bonum, habentes omnem promptitudinem ad faciendam Dei voluntatem cum scientia, prout vult & ipsi placet. *Ante opus omnia necessaria parāda*

Quid est, quod ait Apostolus: *Voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta*? Omnia quæcumque fiunt vel divinâ permissione fiunt, vel eius ex beneplacito, quēadmodum in Propheta dicitur: *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras*. Et iterum. *Non est malitia in civitate quam Dominus non fecerit*. Malitiam vocat omnia adversa illa quæ ad nostram castigationem propter malitiam nostram perquam molesta nobis accidunt: ut sunt fames, terræmotus, siccitas, morbi, bella. Hæc non fiunt ex Dei beneplacito, sed eius permissione; quia permittit Deus nobis Rom. 12. Isa. 45. 7. Amos 3. 6.

hæc inferri ad noſtram utilitatem. Hæc Deus non vult nos velle, neque ipſis cooperari.

Voluntas Dei permiſſiva mali non eſt nobis amplectenda, & executioni mandanda.

Exempli gratia. voluntas Dei permiſſiva (ut diximus) eſt ut civitas evertatur. Cùm igitur voluntas Dei ſit ſubverti civitatem, numquid vult nos etiam ignem illi inijcere, eamque accendere; aut ſecures accipere, & evertere?

Rursùs eſt permiſſio Dei, ut aliquis affligatur, aut ægrotet. Numquid quia voluntas Dei eſt, ut is affligatur, vult pariter ut & nos eum affligamus? vel ut dicamus: Quandoquidem voluntas Dei eſt ut ægrotet, non miſereamur eius? Hoc nō vult Deus, non vult nos tali eius voluntati ſubſervire. Vult nos eſſe probos, quidquid ipſe ſic facit, non vult nos item velle, ſed quid vult? vult nos velle voluntatem ſuam bonam quæ fit (ut diximus) ſecundùm eius beneplacitum; hoc eſt, quæcumque ex præcepto eius fiunt, ut ſeſe mutuo diligere, compati, eleëmoſynas facere, atque alia hujuſmodi. Ecce voluntas eius bona.

Voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta nobis amplectēda, & quæ illa?

Quid autem eſt, *& beneplacens?* Neque enim hoc ipſo quo quis bonum facit, eo ipſo illud beneplacens reddit. Explico rem exemplo. Accidit, ut puellam quis orphanam inveniat, inopem quidem, ſed formoſam, quæ placeat propter formæ elegantiam, ob quam aſſumit & nutrit eam. Ecce in hoc quòd ſuſcipiat ut orphanam, inopem, formoſam; voluntas qui-

quidem Dei, eaque bona est, non tamen beneplacens. Est autẽ beneplacens, quando quis facit eleëmosynã, non ob aliquã cogitationem humanam, sed propter cõmiserationem; hoc est Deo beneplacens.

Perfecta autem est, quando quis facit eleëmosynam, non parcè, non torpidè, non per contemptum, sed totâ facultate, totâ intentione, sic præbens, ut accipere, sic beneficio afficiens, ut beneficio affici videatur. Tunc nempè fit perfecta voluntas Dei, atque hoc modo invenitur quis facere (ut Paulus ait) voluntatem Dei bonam, beneplacentem & perfectam.

Ecce hoc est agere cum scientia. Debet enim quis ipsam eleëmosynæ bonitatem, eiusque gratiam agnoscere, utpotè tam magnam, ut possit etiam peccata dimittere, quemadmodum ait Propheta: *Redemptio viri propria divitiæ.* Et iterùm alibi dicit: *Eleëmosynis redime peccata tua.* Et ipse Dominus dixit: *Estote misericordes, sicut pater vester cælestis misericors est.* Non dixit iejunate, sicut pater vester cælestis iejunat: Pauperes estote sicut pater vester cælestis pauper est; sed quid ait? *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est.* specialiter hæc virtus Deum imitatur, ipsumque exprimit.

Prov.13.8. Dan.4.24. Luc.6.36.

Necesse est igitur (ut diximus) huic scopo semper attendere, & eleëmosynam facere cum scientia. Magna enim in ipsa etiam intentione eleëmosynæ differentia est. Nam est qui facit eleëmosynam ut

Eleëmosyna cum scientia facienda.

ager eius benedicatur, & Deus benedicit agro eius. Alius facit eleëmosynam propter navim suam, & Deus navim eius servat. Alius eam facit pro liberis suis, & Deus servat & custodit liberos eius. Alius eam facit, ut honoretur, & Deus ipsum honore afficit, neque Deus quempiam aspernatur, sed quod quisque voluerit, hoc ei præbet, dummodò ex eo anima eius non lædatur: verumtamen hi omnes receperunt mercedem suam. Nihil enim sibi ipsis reposuerunt apud Deũ, quandoquidem scopus ille quem sibi proposuerant, non erat ex utilitate animæ ipsorum. Fecisti ut ager tuus benediceretur? Deus agro tuo benedixit. Fecisti pro liberis tuis? Deus liberos tuos servavit. Fecisti ut gloriam consequereris? Deus te glorificavit. Quid igitur debet tibi Deus? Reddidit tibi mercedem eorum quæ fecisti.

Porrò est alius qui facit eleëmosynam, ut à futuro supplicio liberetur: ecce hic propter animam suam facit, hic secundùm Deum facit, verumtamen nondum est talis, qualem vult Deus. Adhuc enim in servili conditione versatur. Servus non facit voluntatem Domini sui volens, sed timens ne vapulet. Similiter & hic facit, ut à supplicio liberetur, & Deus ipsum ab eo liberat. Alius facit eleemosynam ut mercedem recipiat. Hoc quidem est primo sublimius, sed necdum tale, quale vult Deus. Nondum enim est in

Quis sit status servorũ, mercenariorum, & filiorum?

in ſtatu filij; ſed ſicut mercenarius facit voluntatem Domini, ut mercedem à Domino recipiat ac lucretur; ſimiliter & hic facit, ut lucretur, & habeat mercedem.

Tres enim ſunt ſtatus in quibus bonum agere debemus, ut ait S. Gregorius, & alibi vobis dixi. Vel enim ſupplicium metuentes bonum agimus, & ſumus in ſtatu ſervili; vel ut mercedem recipiamus, & ſumus in ſtatu mercenarij, vel propter bonum ipſum, & ſumus in ſtatu filij. Filius enim non facit voluntatem patris ob timorem, neque ut ab eo mercedem accipiat, ſed animo ipſi obſequendi volẽs illum honorare ac recreare. Et nos igitur ſic eleẽmoſynam facere debemus, propter bonum ipſum, nobis invicem, ut membris propriis compatientes: ſicque alteri obſequentes ac ſi ab illo nobis obſequium exhiberetur: ita dantes quaſi ipſi reciperemus: & hæc eſt eleemoſyna cum cognitione; atque hoc pacto (ut diximus) in ſtatu filij reperimur.

Nemo poteſt dicere; pauper ſum, & non habeo unde tribuam eleemoſynam. Etſi enim non potes dare ſicut illi divites, qui ampla dona ſua mittunt in gazophylacium, da duo minuta, ut vidua illa paupercula, & Deus ea præ divitum muneribus accipiet. Non habes tantùm? At vires habes, & potes per obſequium ægrotantis miſereri. Non potes & hoc? Potes verbo fratrem conſolari. Miſerere igitur ipſius per ſermonem, & audi di- Marc. 12. Luc. 21. *Eleẽmoſyna poteſt à quovis donari & quomodo?*

Eccl. 18. 17. centem : *Verbum bonum super dona.*

Sed esto quòd neque verbo prodesse possis: at certè potes, si in te excanduerit frater, fragilitatis ipsius misereri, & cum ferre in tempore turbationis suæ, videns eum tentatum à communi hoste: & loco eius quòd illi verbum aliquod reponeres, tace, & ipsius atque animæ eius miserearis, ab hoste ipsum eripiens. Potes iterum si peccaverit in te frater tuus, præstare illi misericordiam, & condonare ipsi peccatum eius, ut & tu remissionem à Deo
Luc. 6. consequaris. Ait enim : *Dimitte, & dimittetur vobis* : & inveniris in animam fratris tui misericordiam exercuisse, condonando ipsi quæ in te peccavit. Dedit enim nobis Deus, cùm voluerimus, potestatem condonandi nobis invicem delicta inter nos commissa, & si non habeas unde corporis miserearis, miserere saltem animæ ipsius. Et qualis misericordia tam magna est, ut misericordia animæ? Sicut enim anima pretiosior est corpore, ita quoque maior est misericordia quæ præstatur animæ, quàm quæ corpori exhibetur.

Itaque nemo potest dicere se non posse misericordiam præstare. unusquisque potest pro facultate sua statuque animæ suæ facere misericordiam dummodo satagat, ut illud bonum quod agit, cum discretione faciat, sicut de qualibet virtute declaravimus. Diximus enim eum qui cum scientia operatur, probatum esse architectum,

ctum, qui domum propriam cum ſecuritate ædificat. De quo dicit etiam Euangelium Quod prudens ædificet domum ſuam ſupra petram, ita ut nihil adverſi ipſam concutere valeat. Deus benignus det nobis audire & facere quæ audimus, ne ſermones hi fiant nobis in judicium in die judicij. Ipſi gloria in ſæcula, Amen. Matt. 7.

NOTÆ CORDERI.

a *OPus eſt ut homo nullam ædificij partem negligat*, &c.] Exemplo ædificij materiati oſtendit quomodo ſpirituale virtutum ædificium in animo conſtruendum ſit, docens non in aliquo dumtaxat virtutis genere laborandum eſſe nobis, ſed in omnibus quæ in hominem Chriſtianum conveniunt. Quod ut vetuſtæ quondam Philoſophiæ magiſtri mundo perſuaderent, virtutes aiebant omnes inter ſe nexas, & jugatas eſſe mutuis ſeſe opibus, & alterno præſidio ſuſtentare, una ſi abſit, non ſpirantem jam imaginem eſſe honeſti, ſed obſoletæ virtutis cadaver. Itaque virtutes Cardinales, quæ numero ſunt quatuor, dicebant in microcoſmo eſſe velut quatuor elementa, & tamquam in ſano corpore humores quatuor, è quibus abeſſe nequit pars una, quin ſequatur totius incommodum, & non levis aliarum partium corruptio. Omnes autem divini Scriptores nos vehementer monent & hortantur, ut non *Virtutes inter ſe cõnexa eſſe debent.*

uni tantùm virtuti studeamus, sed quantum fieri potest omnibus. Nam ut Petrus Chrysologus serm. 145. ait *Virtutes si separatæ fuerint, dilabuntur.*

b Occurrit obedientia. In Græco est, ὑπάντησεν ὑπακοή; quod antiquus interpres vertit: *si intercidit obedientia.* similiter paulò post: ὑπήντησεν ἐγκράτεια; *si intercurrit incontinentia.* In quo non modo sensum, verùm etiam verba ipsa pervertit. Agitur enim de spiritali ædificatione virtutum. Vult autem Dorotheus ἀπὸ ἑκάστης ἀρετῆς ὑπαντώσης ut mox loquitur, *à quacumque virtute quæ occurrerit*, sumendum esse quasi lapidem eius virtutis ad nobilem hanc animi structuram perficiendam. Igitur, inquit, si *occurrerit fortè obedientia virtus*; ex ea sumendus lapis obedientiæ, si *se obtulerit continentia*; ex continentia sumendus etiam lapis, &c.

c Neque ut asceta laudari cupit.] Quod in Græco sic legitur: Οὐδὲ θέλει ἐπαινεῖσθαι, ὡς ἀσκητής. Antiquus interpres: *Non ut tamquam fortis & industrius laudem consequatur humanam*, quasi de pugile & luctatore loqueretur, cùm de monacho sit sermo, qui ex virtutis exercitio laudem minimè venetur: quare verto *neque ut asceta laudari cupit.* satis enim notum est apud Patres ἄσκησιν religiosæ vitæ propriè tribui, quæ tota in pietatis & heroicarum virtutum exercitatione consistit. Vnde ab ipsis *vita monastica* passim ἄσκησις, & ipsi *monachi* ἀσκηταὶ *Ascetæ* nominari solent.

Neque

d Neque virtutem nimis arduam & difficilem esse arbitreris.] Hoc virtutum studium acerrimum, eiusmodi esse debet, ut semper ad ulteriora contendat. Sic omninò S. Dionysius Eccl. Hierarchiæ cap. 2. in choro piorum hominum, qui ad colendam pietatem adlecti sunt, requirit *ἀναβάσεις ἱερὰς sacras ascensiones*, ut cum Propheta de virtute in virtutem progrediendum & crescendum in dies arbitrentur. Quod monitum tantò ante Moyses erudito in Emblemate expressit, cùm Iacobi scalam pinxit magnificam illam, & stelliferum orbem attingentem. In qua Nyssenus orat. 5. de beatitudinibus ait *τὸν κατ' ἀρετὴν βίον διατυποῦσθαι vitam cum virtute conjunctam effingi atque efformari*, in qua quisque novis semper gradibus ad superiora conscendat. Talis fuit Patriarcha Ioseph, qui per scalam sui parentis, sacras *ἀναβάσεις ascensiones* moliebatur. Quam ob causam in divinis literis *filius accrescens* nobili elogio dictus fuit. Talis quoque fuit Samuel totus à cælo, & à Deo, de quo in Regum annalibus ita scribitur: *Puer Samuel proficiebat, atque crescebat, & placebat tam Deo, quàm hominibus.* Paria de Davide celebrantur in libro Paralip. *Proficiebat David vadens & crescens.*

NOTÆ CORDERI

Semper in virtute proficiendum.

Gen. 49. 22.

1. Reg. 2. 26.

1. Paral. 11. 9

e Hæc non fiunt ex Dei beneplacito, sed eius permissione, &c.] Locũ hunc rectè indicat Petavius noster lib. 6. Dogmatum Theologicorum cap. 6. non mereri censuram quâ tom. 1. Bibliothecæ Patrũ Græcola-

NOTÆ CORDERI

Quomodo Deus permittere dicatur pœnas.

tinæ pag. 836. non satis peritè in nota marginali afficitur: siquidem permittentem Dei voluntatem hîc latius usurpat Dorotheus, pro omni ea voluntate quæ non est præcipua & προηγουμένη, id est *antecedens*, sed *consequens* ut loquitur Ioannes Damascenus cuius scilicet causam illi præbuimus; & qua provocatus à nobis pœnas decernit quas nollet infligere. Quare non est tam absurda, quàm nonnullis visa hæc sententia; neque fidei aut Theologiæ contraria decretis, cùm in eadem sit summus utique Theologus Damascenus qui & hanc vocat κατὰ παραχώρησιν prorsus ut Dorotheus.

Misericordia nos Deo similes reddit.

f *Specialiter hæc Deum imitatur, ipsumq; exprimit.*] Parit enim Dei filios, ob divinæ bonitatis similitudinem, quam in hominum mentibus affectuque solet imprimere. Itaque S. Basilius hom. 10. in hexaëmeron, quòd in Genesi homo dicitur ad Dei similitudinem creatus, ad misericordiæ & clementiæ affectum retulit, & subdit: *Illud prius ad imaginem, obtines quidem tu ratione insignitus: posterius verò ad similitudinem, stolâ benignitatis amictus assequeris. Pia miserationis viscera assumito, suauis & placidæ benignitatis, ut Christum merearis induere.* Certè regium omnes, & divinum quiddam esse putant, solari afflictos, dare præsidium calamitosis, jacentes erigere, aliorum miserias ducere suas: quod qui facerent, sapientiæ priscæ auctores nominavere. θεοειδεῖς *deiformes*, & ἰσοθέους *aquales*

les Deo qui quod in Deo amabilissimum est, & oblectat maximè, inter homines exprimerent. Nota Cordsal

INSTITVTIO XV.

a DE SANCTIS JEJVNIIS.

IN lege præcepit Deus filiis Israël, ut quolibet anno decimas darent omnium quæ possiderent, & sic facientes benedicebãtur in omnibus operibus suis. Hoc scientes Apostoli sancti, consilium inierunt quò ad nostrarum auxilium ac beneficium animarum, illud ipsum magnificentius atque sublimius nobis traderent, ipsosmet vitæ nostræ dies addecimando, & quasi consecrando Deo, ut sic & in operibus nostris benediceremur. Et subducto calculo, ex anni trecentis sexaginta quinque diebus, septem has ieiuniorum septimanas nobis sanctificarunt, sic enim septem hebdomadas definiverũt. Num. 18. *Ieiunium quadragesimale antiquitus institutum.*

Cæterùm Patres successu temporis censuerunt adhuc unam aliam septimanam iis adijciendam, cùm ut hoc præludio, & quasi prævia exercitatione ad laborem iejuniorum facilius aggrediendum disponerentur; tum etiam ut honorarent hocce numero jejunia sanctæ quadragesimæ quam Dominus noster jejunavit. Octo enim hebdomadæ, b subductis sabbatis & dominicis diebus, quadraginta dies efficiunt; sabbati nimirum san- b.

ctæ

Quomodo annus decimandus per ieiunium. cti iejunio peculari in honore habito, quia ipsum est sacratissimum & solum ieiunium ex omnibus sabbatis anni. Porrò hæ septem hebdomadæ exceptis sabbatis & dominicis diebus, trigintaquinque dies explẽt; adjecto deinde sabbato magno, & dimidio noctis lucidissimæ ac splẽdidissimæ, triginta sex dies cum dimidio efficiunt. Quæ quidem decima portio est trecentorũ sexaginta quinq; dierum anni, eaque accuratissima. Trecentorum enim dierum decima portio sunt triginta dies: decima autem pars sexaginta dierum, sunt sex dies: decima verò portio quinq; dierum, est dimidius dies. Ecce triginta sex dies cum dimidio, ut diximus. Hæc est decimatio, ut ita quis dicat, totius anni, quam sancti Apostoli nobis ad pœnitentiam consecrarunt, & expiationem peccatorum, ut dixi, totius anni.

Ieiunij utilitas. Qui igitur sacris hisce diebus semetipsum, ut decet, rectè custodit, utique beatus est, fratres. Etsi enim ipsum, ut hominem, sive ex infirmitate, sive ex negligentia peccare contigerit, ecce sacros hosce dies dedit Deus, ut si quis in iis cum sobrietate & humilitate sui ipsius curam gerere & pœnitentiam agere studuerit, à totius anni peccatis emundetur, atque anima eius deinceps ab isto onere quiescat, & sic purè accedat ad sacrum diem resurrectionis, atque impunè particeps fiat sanctorum mysteriorum novus homo factus per pœniten-

nitentiam sacrorum horum iejuniorum ut in gaudio & lætitia spirituali, universam sanctam pentecosten cum Deo festivam ducere perseveret. Pentecoste enim (ut dicitur)animæ resurrectio est,in cuius rei symbolum toto tempore pentecostes in Ecclesia sancta genu non inflectimus.

Quisquis igitur his diebus à totius anni peccatis expiari voluerit: debet primùm quidem sibi cavere,ne citra delectũ cibos sumat: ciborũ enim citra delectum usurpatio, ut Patres aiunt, omne malum homini gignit. Cavere deindè similiter debet; ne absque magna necessitate iejuuium solvat, néve quærat cibos delicatos, neque nimiâ se gravet esculentorum, aut poculentorum repletione.

Habendus cibi, & eius quantitatis delectus.

Duæ quippè sunt gulæ differentiæ. Vna est; quando quis tentatur cibi suavitate, & non semper vult multa comedere, sed appetit lautitias. Atque accidit interdum ut talis cibum aliquem sibi valdè gratum comedat, atque adeò superetur à voluptate,ut cibum illum ore suo retinere pergat, & satis superque masticatum non libenter deglutiat ob nimiam quam ex eo capit voluptatem. Hæc dicitur læmargia [id est gutturis seu palati voluptas] Altera est: quâ quis tentatur ad ingurgitationem; neque lautas dapes requirit,neque ipsi curæ est de suavitate, sed sive bonæ sint escæ, sive malæ, nihil aliud appetit, nisi tantùm edere ac vorare, & qualescumque cibi fuerint, non curat, dũmodo

Duæ gulæ species.

iis ventrem suum infarciat. Hæc dicitur gastrimargia [id est ventris ingluvies.]

Gastrimargia & lamargia quid?

Explico vobis horum nominum rationem μαργαίνειν dicitur apud profanos auctores *insanire*, & μάργος dicitur *insanus*. Quando quis igitur isto morbo & insaniâ laborat, ut ventrem suum nimis repleat, tunc dicitur γαστριμαργία à verbo μαργαίνειν, quod est ventrem insanire. Quando verò volupras est tantùm circa fauces, vocatur λαιμαργία, eò quòd guttur insaniat. Hæc autem cum omni vigilantia cavere ac fugere oportet eum, qui à peccatis suis expiari desiderat. Non enim sunt à corporis necessitate, sed ab inordinata passione, quam si quis in se toleret fiet ipsi in peccatum.

Porrò ista se habent inter se, sicut legitimus usus conjugij & fornicatio, quoniam actio quidem eadem est, sed ipsa intentio, facit rei diversitatem. Ille enim propter prolificationem commiscetur, hic autem ut propriam expleat libidinem. Quid simile est etiam in comestione invenire; quoniam res eadem est comedere ob necessitatem, & comedere propter voluptatem, sed intentio facit peccatum.

Modus acquirendi temperantiam.

Comedere autem pro necessitate, est quādo quis sibi præfigit quantum per dies cibi sumendū sit; quâ mensura si postmodùm sese aggravatum senserit, aliquantulùm ex ea demit: vel si nō gravaverit, sed nimis modica fuerit ad corporis sustentatio-

tationem, & opus sit aliquantulum adijcere, modicum adijcit, atque ita probè explorat suam necessitatem; & deinceps insistit mensuræ sibi præstitutæ, non propter voluptatem, sed ad sustentandas & reficiendas corporis sui vires.

Porrò id ipsum quod quis sumit, præmissâ precatione sumere debet, & in cogitatione sua sese quasi indignum judicare istiusmodi refectione, & non attendere si aliquibus fortassis ex usu, aut necessitate aliqua ministretur, ne & ipse quærat similem commoditatem, aut arbitretur rem levem esse animæ istiusmodi recreationem. *Cibus non sine prece sumendus.*

Dum essem aliquando in cœnobio, quemdam è senioribus visendi gratia adivi (complures enim illic erant magni senes) & invenio fratrem qui illi ministrabat, cum ipso comedentem, & dico ipsi seorsum: scisne frater hosce senes quos vides comedere, & parvum aliquod ministerium habere, similes esse hominibus, qui cùm marsupium obtinerent perrexerunt operari, & in illud marsupium semper aliquid inijcere, donec ipsum replerent, & postquam illud obsignassent, denuò vacarunt operi; ac sibi alios præterea mille nummos congregarunt, ut in tempore necessitatis inveniant quod expendant, & servent ea quæ in marsupio sunt. Similiter & hi perrexerunt operari & sibimetipsis thesaurizare, & postquam thesauros suos obsignassent *Senes posse quiescere, iuvenes verò debere laborare.*

quæ-

quædam adhuc alia operati sunt, quæ habent in tempore necessitatis aut senectutis ut expendant. Habent autem illa in thesauris reposita. Nos verò neque marsupium ipsum possidemus, unde quidpiam erogemus: Idcircò, ut dixi, debemus etiam cùm ad necessitatem aliquid sumimus, nosmetipsos dijudicare, & qualicumque obsequio indignos reputare, quin & ipsammet vitam solitariam vix sine metu suscipere, & sic non fiet nobis in judicium aut condemnationem. Atqui hæc quidem de continentia ventris.

Iuveni deliciæ fugiendæ.

Ceterùm *d* non victus solùm nobis servanda ratio est, sed etiam ab omni alio peccato abstinendum, ut quemadmodum ventre iejunamus, ita quoque iejunemus & linguâ abstinentes à detractione, à mēdacio, à vaniloquio, à contumelia, ab ira, ab omni denique peccato quod linguâ committitur. Similiter ieiunandum est oculis, ne vana intueamur, ne nimis liberè illos circumagamus, ne alicui impudenter intendamus. Eodem modo manus ac pedes ab omni re mala coërcendi sunt; & sic (ut Divus * Basilius ait) iejunium acceptabile iejunantes, & ab omni malo quod per sensus nostros committitur, abstinentes, ad sanctum diem resurrectionis (uti jam diximus) novi & mundi, atque sacrorum mysteriorum participatione digni accedamus; primùm exeuntes in occursum Domini nostri, & suscipientes eum cum palmis & ramis olivarum sedentem

d Linguâ ieiunandum.

Oculis ieiunandum.

*Hom. 2. de ieiunio.

dentem super pullo, atque in sanctam civitatem ingredientem, *Matt.21.*

Quid sibi vult, quod Dominus sedeat super pullo? Super pullo sedit, ut animam nostram ratione destitutam (ut ait Propheta) & jumentis insipientibus comparatam, velut verbum Dei converteret, & eam divinitati suæ subijceret. *Quid Christus pullo insidens mysticè designet? Psal.48.12.*

Quid autem est, occurrere ipsi cum palmis & ramis olivarum? Quando quispiam ad bellum proficiscitur contra suum adversarium, & redit victor, suorum quisque illi cum palmis, tamquam victori occurrit. Palma enim est symbolum victoriæ. Item cum aliquis injuriâ affectus exire voluerit ad eum qui possit illum ab injuria vindicare, olivarum ramos præmittit clamitans, ut sui omnes misereantur, & opem ferant: oliva enim symbolum est misericordiæ.

Propterea & nos Domino nostro Christo occurramus, cum palmis quidem tamquam victori; (ipse enim pro nobis hostem vicit) cum ramis verò olivarum, ut ab ipso misericordiam postulemus. Sic & nos victores evademus, per ipsum postulantes, & signa victoriæ ipsius gestantes inveniemur, non tantùm pro victoria quam ipse pro nobis retulit, sed etiam pro ea quam nos per ipsum precibus Sanctorum omnium retulimus, Amen. *Cum palmis & ramis olivarum Christo occurrendum.*

NOTA

NOTÆ CORDERI.

a DE *sanctis iejunijs.*] Multa cum Dorotheo ad hoc institutum sancti Patres tradunt, docentes numerum quadragenarium aliquid magni continere, ratione cuius aptissimè mysterijs significandis perpetuò fuit à Deo electus. S. Basilius hom. in 40. Martyres vocat ἀριθμὸν τίμιον: *numerum pretiosum.* S. Ambrosius lib. 4. in Lucam, *mysticum, aut mysteriis plenum.* Petrus Chrysologus serm. 11. *Sacratum à seculis, mysticum, aptum cælestibus secretis, & semper in efficiendis rebus divinis, & maximis Dei negotijs explicandis lege inviolabili adhibitum.* S. Augustinus tract. 17. in Ioannem, *sacratum in quadam perfectione consistentem*, & iterũ serm. 49. de tempore *salutarem & mysticũ.* S. Hieronymus in cap. 3. Ionæ, *pœnitentiæ congruum.* & in cap. 58. Isaiæ dicit solemnes iejuniorum dies à Christo Dño nobis relictos. *Videtis fratres* (inquit S. Petrus Chrysologus suprà citatus) *quia quòd quadragesimam iejunamus, non est humana inventio, auctoritas est divina, & est mysticum, non præsumptum, nec est de terreno usu, sed de cælestibus est secretis.* S. Chrysostomus hom. 2. in Genesin de quadragesima similiter agens: *Communis*, inquit, *nostri omnium Dominus, velut filios diligenter amans, cupiens ea quæ umquam peccavimus, nobis abluere, hanc quæ per iejunium fit, curationem adinvenit.* Ex quo in-

Quadragesimæ numerus mysticus, à Deo iejunijs consecratus.

infert, illum à nobis singulariter glorificandum, *qui hanc nobis optimam aperuit, constituitq́; viam.* sanctus item Ambrosius serm. 36. *Devotionem*, inquit, *sanctæ quadragesimæ prædicantes, sacrarum litterarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non esse ab hominibus constitutum, sed divinitùs consecratum, nec terrenâ consecratione inventum, sed cælesti majestate præceptum.* Et infrà. *Hæc non tam sacerdotum præcepta, quàm Dei sunt: atque ideò qui spernit, non sacerdotem spernit, sed Christum.* Hæc tam concors omnium Sanctorum Patrum sententia, unanimi comprobatur doctrinâ; ut mirum sit quomodo hæretici illam audeant reijcere. NOTÆ CORDERII

b Subductis Sabbatis & Dominicis diebus.] Nota id dictum ex ritu Græcanico; nam Romana Ecclesia, etiam diebus Sabbatinis in quadragesima jejunat, solis Dominicis à iejunandi lege exemptis.

c A totius anni peccatis emundetur.] *Magna enim* (inquit Leo ser. 4. de Quadragesima.) *divinæ institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent.*

d Non. victus solùm servanda nobis ratio est, &c.] *Non enim* (ut ibidem S. Leo Pontifex addit) *in sola abstinentia cibi stat nostri forma iejunij: aut fructuosè corpori esca subtrahitur nisi mens ab iniquitate revocetur.*

Vnde

Vnde etiam in Hymno Quadragesimali canit Ecclesia:

Vtamur ergo parcius,
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis, & arctius
Perstemus in custodia.

INSTITVTIO XVI.

DE SOLITVDINE ET MODO CONVERSANDI.

Quid in cella, & quid in conversatione observandum sit.

PAtres dicunt in cella sedere dimidium esse, & conversari cum senioribus esse alterum dimidium. Significat hic sermo, tam in cella quàm extra cellam similiter opus esse vigilantiâ, & scire quemlibet debere, cur ipsi secum quiescendum, & cur cum patribus & fratribus conversandum sit. Dum quis enim huic scopo invigilat, studet facere quæ Patres commendarunt. Et quando quidem in sella sedet, orat, meditatur, facit parvum aliquod opus manuale, pro virili curam gerit suarum cogitationum. Quãdo verò rursus umquam conversatur, considerat & respicit statum suum, utrum ex fratrum conversatione proficiat nec ne: utrum absque damno ad cellam suam reverti possit: & si viderit se in aliquo læsum, addiscit infirmitatem suam, & agnoscit se nihil adhuc lucri ex quiete percepisse, atquè humiliatus ad cellam propriam

priam revertitur cum lacrymis agens pœnitentiam; & Deum rogans pro infirmitate sua, sicque deinceps sedet sibimetipsi attendens. Postmodùm iterum ad homines vadit, & semetipsum circumspicit, utrum in prioribus illis, aut in aliis manserit superatus; & sic iterum revertitur in cellam suam faciens eadem quæ prius, pari modo flens, pœnitentiam agens, pro statu suo Deum orans. Cella enim nos exaltat; homines verò nos probant. Quapropter optimè dixerunt Patres, sedere in cella dimidium esse, & cum senioribus conversari, esse alterum dimidium. *Qualis sibi-ipsi circumspectio adhibenda sit.*

Quando itaque inter vos convenitis, scire debetis cur è cella egrediamini, & non temerè umquam exire. Qui enim absque scopo iter facit, sicut dixerunt Patres, frustrà laborat. Quisquis igitur quidpiam aggreditur, debet omninò habere scopum, & scire cur id faciat. *Actiones ad certum scopũ dirigendæ.*

Quis igitur est scopus quem nobis præfixum habere debemus, quando nos invicem invisimus?

Primùm [id fiat] propter charitatem. Ait enim: vides fratrem tuum; vides Dominum Deum tuum.

Secundò ad audiendùm verbum Dei; nã in multitudine amplius omninò agitatur verbum Dei. Quod enim unus ignorat, id alius sæpenumerò interrogat.

Denique ad proprium statum (ut antea dixi) dignoscendum.

Exempli gratia; cùm vadit quis fortassè

Quid in mensa servandū. tasse cum ceteris qui isthic reperti fuerint, comestum, considerare debet ac videre, si cibus aliquis bonus, qui ipsi placeat, appositus fuerit, utrum continere appetitum valeat, & ex eo nihil sumere: vel studeat fratrem suum minimè defraudare, & plus ipso accipere; vel si quid frustatim appositum sit, num maius frustum sibi vendicare satagat, minori relicto. Accidit enim aliquando ut quis minimè erubescat manum extendere, & fratri suo minorem obtrudere portionem, sibi ipsi majorem usurpando. Sed quantula est differentia inter majorem istam & minorem portionem? quantillum inter duas istas portiones interest, ut tantillis ac vilissimis in rebus fratrem suum quispiam defraudare, & peccare deprehendatur?

b Attendat rursùs an sibi temperare possit à multis cibis, *b* & utrum fortasse si diversa fercula invenerit, sese ad saturitatem expleat; utrum quoque sibi à nimia loquendi libertate caveat; & si fratrem præ se honorari & amplius quàm se recreari viderit, utrum non ægrè ferat?

Item si viderit alium cum alio liberius agentem, vel loquentem plurima, & si quid fortè obturbantem, utrum ipsi non attendat, nec ipsum judicet, quin potius ad maximè religiosum oculos reflectat, studeatque facere quod de Abbate Antonio commemoratur: qui cum aliquos inviseret, si quid boni quemquam illo-

S. Antonius singulorum virtutes imitabatur.

rum

rum habere conſpiceret, id ſtatim aſſumebat & in ſe recondebat, illius quidem manſuetudinem, huius autem humilitatem, alterius verò modeſtiam, & ſic inveniebatur in ſeipſo continere dotes ſingulorum.

Ecce ad eum modum & nos agere debemus, & in hunc finem converſari, & quando ad noſtras cellas revertimur, noſmetipſos ſcrutari, atque addiſcere in quo profecerimus, vel in quo damnum paſſi ſimus. Et ſicubi nos protectos deprehendimus, Deo protectori noſtro gratias agemus, quòd abſque damno evaſerimus. Pro erratis verò pœnitentiam agemus, deflebimus, & lugebimus ſtatum noſtrum. *c*Quilibet enim è ſtatu proprio damnum aut utilitatem capit. Quandoquidem nemo quempiam lædit, ſed ſi lædamur, à noſtro (ut dixi) ſtatũ lædimur. Poſſumus enim, ut aſſiduè vobis dico, qualibet è re, ſi voluerimus fructum, damnúmve recipere. c *Quiſque læditur à ſemetipſo.*

In cuius rei confirmationem exemplum vobis adferam. Contingit aliquem non dico monachum, ſed quemcumque de civitate noctu ſtare in loco aliquo, & juxta ipſum tranſire tres viros: & unus quidem ex illis arbitratur eum præſtolari ſocium aliquem ut una ſimul eant ad fornicandum; alius autem furem eſſe ſuſpicatur; alter verò exiſtimat eum vocaſſe è vicina domo amicum ſuum, & expectare illum, ut una ſimul eant ad oratio-

nem

nem. Ecce hi tres eumdem hominem eodem in loco viderunt, & tamen non eamdem cogitationem de ipso habuerunt; sed unus quidem hoc, alius verò illud, tertius denique aliud cogitavit, unusquisque scilicet secundùm proprium statum, seu animi affectionem.

Quisquis iudicat pro affectu suo.

d Quemadmodum enim corpora melancholici & mali humoris, quemcumque cibum sumunt, in malum succum vertunt, quantũvis fuerit cibus optimus, cuius rei causa non est à cibo, sed à corpore, ut dixi, quod cùm malè temperatum sit, necessariò etiam cibos alterat & in suam redigit intemperiem. Sic & anima malo habitu affecta, à quacumque re læditur, & quamvis res ipsa in se optima utilissimaque fuerit, illi tamen nocet.

Suppone mihi adesse vas mellis, in quod aliquis parum absynthij proijciat; numquid modicum illud absynthij, totum vas illud corrumpit, & mel omne reddit amarum? Ita & nos facimus, qui parùm ex amaritudine nostra proijcimus, & totum proximi nostri bonum delemus, dum illud secundùm nostram dispositionem consideramus, & ad malam nostram affectionem invertimus. Qui verò bonum habent habitum, inveniuntur similes illi qui sortitus est corpus succi boni, quod licet noxium quid comederit, idipsum tamen juxta corporis sui temperamentum in bonum succum convertit, neque malus cibus illi quidquam offi-

Bonis omnia bona, malis omnia mala.

officit, quandoquidem ut dixi, corpus ejus boni ſucci eſt, & conformem temperamento ſuo efficit nutritionem; & ſicut diximus de primo, quòd ab intemperie ſua, bonum alioquin cibum in malum ſuccum vertat: ſimiliter & hic, à corpore ſuo bene temperato, etiam malum cibum in ſuccum bonum convertit.

Quod ut melius intelligatis, addo exemplum. Porcus habet corpus boni omninò ſucci; nutrimentum autem eius ſunt corna & oſſa palmarum, atque lutum; & tamen cùm corpus habeat optimi ſucci, etiam iſtiuſmodi genus alimenti, in bonum ſuccum vertit. Eodem modo nos ſi probum habitum, bonamque conſtitutionem habuerimus, poſſumus (ut anteà dixi) è re qualibet, etiam minus utili fructum noſtrum facere.

Hinc pulchrè dicit Proverbium: qui valdè circumſpectus eſt, miſericordiam conſequetur; & alibi ait: omnia contraria ſunt viro imprudenti. Audivi equidem de quodam fratre, qui cùm aliquem ex fratribus conveniret, ſi quidem cellam eius videret incompoſitam & incultam, dicebat ſecum: quàm beatus eſt hic frater, qui pleraque vel potius omnia terrena contempſit, & ſic totam mentem ſuam ad ſuperna tranſtulit, ut ne quidem cellæ ſuæ componendæ vacet. Rurſus ſi ad alium divertiſſet cuius cellam compoſitam, mundam & ornatam videret, in ſemetipſo iterum dicebat: quemadmo-

dùm anima huius fratris eſt pura, ſic & cella eius munda eſt, & ſecundùm animæ conſtitutionem eſt & cellæ ipſius conſtitutio. Numquã etiam de aliquo dicebat, ipſum eſſe incompoſitum, garrulúmve, ſed ex optimo mentis ſuæ ſtatu, ab unoquoque fructum capiebat.

Deus optimus det nobis bonam conſtitutionem, ut & nos ex unoquoque utilitatem capere poſſimus, nec umquam proximi vitium attendamus. Quod ſi fortè ex prava mentis diſpoſitione quidquam de illo mali cogitaverimus aut ſuſpicati fuerimus, ſtatim cogitationem noſtram, in bonam opinionem convertamus. Nam ad proximi malum non attendere, miram in nobis Dei auxilio parit bonitatem, quâ Deo magnopere placemus cui gloria in ſæcula, Amen.

NOTÆ CORDERI.

a ET *modo converſandi.*] Docet hâc doctrinâ, quomodo ad congreſſum familiarem cum hominibus, & commercium, non niſi periti & parati venire debeant. Sic etiam apud Platonem Socrates cùm Alcibiadem inſtruit, monet ſapienter, priuſquam in populi lucem deſcendat & illius commercio utatur, comparanda eſſe alexipharmaca peropportuna venenis amoliendis propulſandiſque amuleta, ne quã ratione corrumperetur. Sapienter ſanè ob periculum, quod immi-

net

net & circumſtat. Nam ſi verum fateri luber, agere cum hominibus, & non inſici communi morum colluvione, non naturæ, ſed gratiæ privilegium eſt putandum. NOTÆ CORDERI

b Et utrum fortaſſe, ſi diverſa fercula invenerit, ſeſe ad ſaturitatem expleat.] In Græco eſt: Μὴ ὡς εἰκὸς, εὑρίσκων διάφορα βρώματα ἐκδίδωσιν ἑαυτὸν εἰς χορτασίαν. Antiquus Interpres vertit; *neque quod minimè decet, quærat diverſa fercula, ſeq; ad vomitum expleat.* Vbi quidem ille χορτασίαν *vomitum* reddit; ſed omninò rem nimis exaggerat, & ni fallor, haud ſatis habuit rationem decori. Dicerem ego hîc potius *ad ſaturitatem*, quod in monarcho reprehendi fortè poſſit: nam ad vomitum ſe explere neque in religioſos homines cadit, & vel etiam in helluonibus fœdum eſt, & vituperandum. Quare locum hunc ita verto decentius: *Ne fortaſſè, ſi diverſa fercula invenerit, ſeſe ad ſaturitatem expleat.* De religioſa enim menſa diſputans, cuique monet attendendum, ne quærat diverſa fercula, ut iis appetitum expleat. Subjungit paulò poſt aliam exaggerationem meo quoque judicio nimiam: cùm illa verba Dorothei: Εἰ βλέπεις ἄλλον παῤῥησιαζόμενον μετ᾽ ἄλλου, ἢ λαλοῦντα πολλὰ, ἢ εἶτα δήποτε ἀσυστροφοῦντα: ſic vertit: *Videns alterum inſoleſcentem, inclamantem, obloquentem, conviciantem, turbas miſcentem*: quæ Lapitharum potiùs, quàm Religioſorum menſæ conveniunt. Hoc genus interpreta-

tionis vocari solet dissentaneum, quòd ab auctoris sententia, vel à re ipsa dissentiat, & quod sequi necesse est, lectorem in fraudem inducat. Quare hæc ita verto convenientius: *Si viderit alium cum alio liberiùs agentem, vel loquentem plurima, & si quid fortè obturbantem,* &c.

c *Quilibet enim è statu proprio damnum aut utilitatem capit,* &c.] Vide huius argumenti pulcherrimam declamationem S. Chrysostomi quâ fusè probat neminem lædi nisi à semetipso; quæ habetur tom. 5. editionis Græco-latinæ Parisiensis, post libros de sacerdotio, dignissimaque est lectu, ad animum in quovis casu ex virtute componendum.

d *Quemadmodum enim corpora melancholici & mali humoris,* &c.] Pulchris exẽplis declarat, juxta tritum axioma Philosophi quidquid recipitur ad modum recipientis recipi. Sic ex eodem flore, apis mel, & aranea venenum sugit.

INSTI-

INSTITVTIO XVII. DE PRÆLATVRA ET INSTITVTIONE FRATRVM.

SI fratrum præfectus sis, curam eorum habe in severitate cordis, & visceribus misericordiæ, docens eos opere & sermone, quæ agenda sint, magis tamen opere, quoniam exempla magis sunt efficacia. *Conditiones boni superioris.*

Si quidem possis, etiam corporalibus ipsos informans exercitiis, sin verò infirmus fueris, optimâ animæ constitutione & fructibus spiritus ab Apostolo enumeratis, charitate, longanimitate, gaudio, pace, benignitate, bonitate, fide, mansuetudine, & contra omnes passiones continentiâ. Galat. 5.

Noli autem erroribus occurrentibus, vehementer indignari, sed sine perturbatione demonstra damnum quod ex errore provenit; & si opus fuerit increpatione, personam serva, & tempus opportunũ.

Ne inquiras nimium in parvos errores, quasi rigidus exactor juris, neque continuò reprehendas (hoc enim molestum, & consuetudine reprehensionis in insensibilitatem & contemptum ducit. *Admonendi & corrigendi ratio.*

Noli imperiosè præcipere, sed cum humilitate consulta cum fratre tuo. Nam sermo istiusmodi exhortationis est, & magis persuadet, & tranquillat proximũ.

Tempore autem perturbationis, quo frater tibi resistit, custodi linguam tuam ne quid omninò in ira loquaris, neque cor tuum adversus ipsum efferri sinas, sed memineris esse fratrem tuum, & membrum in Christo, atque imaginem Dei à communi hoste nostro irritatam, ipsique compatere, ne diabolus aliquando plagâ furoris illam captivans, occidat ob memoriam injuriarum, atque per incuriam nostram anima illa pereat pro qua mortuus est Christus.

Memineris etiam te eidem iræ judicio subjacere, & ex tua ipsius infirmitate compatere fratri tuo, nec non gratias age, quòd inveneris occasionem alteri condonandi, ut & tibi à Deo majora, & plura condonentur Dimittite (enim inquit)
Matt. 6. Luc. 6. & dimittetur vobis. sed arbitraris fortè fratrem tuum ex longanimitate tua damnum relaturum? Verumtamen Apostolus jubet vincere in bono malum, & non in malo bonum.

Ceterùm Patres quoque dicunt, si alium objurgans, ad iram movearis, propriam passionem explevisti, & nemo prudens propriam dissolvit, ut proximi domum ædificet. Perdurante igitur turbatione, comprime cor tuum, & in hunc modum ora, dicens: Clementissime Deus,
Oratio cōtra iracundiam. & amator animarum qui nos ineffabili tuâ bonitate de nihilo creasti, ut bonorum morum particeps essemus, & cum à mandatis tuis recessissemus, unigeniti fi-

lij

lij tui Salvatoris nostri sanguine nos revocasti: etiamnum adsis infirmitati nostræ, & ut quondam æstuanti pelago, sic nunc turbationi cordis nostri impera, ne unicâ horâ nobis ambobus filijs tuis peccato mortuis orberis. neque dicas nobis: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* Et *Amen dico vobis nescio vos*; quia oleo deficiente, lampades vestræ extinctæ sunt. Post hanc orationem corde tuo jam sedato, potes cum scientia & humilitate cordis juxta præceptum apostolicum, arguere & increpare, atque cum affectu miserendi velut infirmum membrum curare & erigere. Tunc enim & frater correctionem tuam admittet cum omni confidentia; semetipsum condemnans ob duritiem suam, & per pacem cor eius pacificabis. Nihil igitur à sancta Christi traditione te divellat: *Discite*, [inquit] *à me, quia mitis sum & humilis corde.*

Psal. 29.10. Matt. 25.12. 2.Tim. 4.2. Matt. 11.29.

Primùm enim procurare oportet pacificum statum, ut nullis etiam justis nominibus, vel quasi mandati ac præcepti gratia cor nostrum perturbari sinamus, pro certo habentes, omnia præcepta nobis observanda esse propter charitatem & cordis puritatem; si hoc modo fratrem gubernaveris, audies vocem istam quæ ait: *Si eduxeris pretiosum à vili, quasi os meum eris.*

Pacificus status necessarius ad vitam spiritualem. Ier. 15.19.

Si autem fueris sub obedientia alterius, numquam cordi tuo credas, excæcaris

Officium boni subditi quale?

ris enim à priſtinis affectionibus tuis, & ne nitaris proprio judicio tuo, neque ſtatuas apud temetipſum quidquam abſque interrogatione & ſententia majorum, neque putes te rectore tuo rationabiliora & iuſtiora ſentire, neque fias cenſor & indagator actionum eius, ne ſæpenumero te deceptum reperias. Impoſtura enim hæc maligni eſt, ad fidelem in rebus omnibus obedientiam, quæ ſalutem ipſam ſecuram reddit, impediendam.

Subditus eſto cum tranquillitate, & ſic abſque periculo & errore viam Patrum tenebis.

Mortificatio ſui eſt pacis mater.

Cohibe temetipſum, & frange voluntatem tuam in omnibus, & gratiâ Chriſti per conſuetudinem te coërcēdi habitum nactus, poſtmodùm ſine violentia & abſque moleſtia id ipſum facis; ita ut ſemper tibi fiat prout vis; verumtamen velis prout fit; & ſic cum omnibus pacem habeas. Hæc quidem quoad ea in quibus non intervenit mandatorum Dei aut Patrum tranſgreſſio.

Conare in omni re invenire aliquid in quo te accuſes, & tene ſuſpenſum in mente judicium, credens etiam minima quæque noſtra divinæ providentiæ ſubeſſe; & quæ tibi eveniunt imperturbatè feras.

Dei providētia curat etiam minima

Ignominiam & contumelias crede eſſe pharmaca medicinalia contra ſuperbiam animæ tuæ, & ora pro calumniantibus te, tamquam pro veris medicis, certò perſuaſus eum qui odit contumeliam, odiſſe humi-

humilitatem, & qui fugit irritantes se, fugere mansuetudinem.

Noli scire malitiam proximi tui, nec admittas adversus ipsum suspiciones. Quod si verò etiam per malitiam nostram sparsæ fuerint, conare illas in bonam opinionem commutare: & in omni re gratias age, ac posside bonitatem, & sanctam charitatem. *Suspiciones fugiendæ.*

Ante omnia verò custodiamus omnes conscientiam nostram in omnibus, tam quæ ad Deum, quàm quæ ad proximum & res materiatas spectant: & antequam dicamus aut faciamus quidquam, examinemus an id secundùm Dei voluntatem sit, & sic factâ oratione illud dicamus aut faciamus, & imbecillitatem nostram in conspectu Dei proijciamus, atque bonitas ejus in omnibus aderit nobis.

NOTÆ CORDERII.

a SI *fratrum præfectus sis*, &c.] Tradit optimam alios regendi normam, se- *Quæ sit perfecta regendi normæ.* veritate simul ac lenitate temperatam, de qua loquens Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 260. vult superiorem religiosum legibus debere τὸν φόβον μίξαι, *metum adjungere*, imperio autem suo, atque potentiæ ἐπιείκειαν κεράσαι *lenitatem aspergere*, ut ex metu & bonitate fiat laudabilis quædam temperatio. Hanc doctrinam, ni fallor, hausit à præceptore suo Chrysostomo hom. 5. in Isaiam ubi ait esse nobis dua-

NOTÆ CORDERI bus rebus opus ad corrigendum & reprehendum, παῤῥησίᾳ & πρᾳότητι, *libertate, & mansuetudine*, sed hanc quidē longè priori anteponit, atque in hoc genere dat primas partes clementiæ, lenitati, humanitati: quod etiam hoc loco facit Dorotheus, & alij Patres, inter quos Leo magnus epist. 84 de vitiis emendandis in hunc modum agit: *Plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, quàm severitas; plus cohortatio, quàm commotio; plus charitas, quàm potestas*. Et S. martyr Ignatius ep. 8. scribens ad Polycarpum de lenitate adhibenda, τοὺς παροξυσμοὺς ἐμβροχαῖς παῦε *morbi exacerbationem* [olei] *affusionibus mitiga* Ita Galat. 6. 1. sanctus quoque Paulus, cùm de peccantibus instruendis & emendandis præscribit, commendat imprimis, & majorem in modum spiritum lenitatis.

Docent prætereà cum Dorotheo plerique Patres esse habendam rationem temporis, personarum, criminum, quibus in rebus elucet prudentiæ vis, & sapiens eorum consilium, qui alios arguunt. Neque enim omne tempus emendationi opportunum est, fitque aliquando, ut intempestiva correctio non minuat crimē, sed delinquentis audaciam incendat. Est etiam personarum ingens varietas, quæ moneri uno modo emendarique nequeunt; atque in hac officij parte suis præceptis instituenda, opere in longo & vario de cura Pastorali S. Gregorius Magnus egregiè versatus est.

b Si autem fueris sub obedientia alterius, &c.] Explicat quodnam subditi præsertim religiosi officium sit, scilicet proprium judicium ac voluntatem penitùs abnegare, ac superiori suo perfectè subijcere; qua de re disseruit planè eximiè nostri Ordinis Fundator S. Ignatius in epistola sua verè aurea quam de obedientia scripsit; ubi ait faciendum illi esse, qui ad huius virtutis perfectionem adspiret, vt præter voluntatem etiam intelligentiam offerat Deo, ut non solùm idem velit, sed etiam ut idem sentiat quod superior, judicioque illius subijciat suum quoad potest devota voluntas intelligentiam inflectere, atque efficere ut in hanc potiùs, quàm in aliam partem inclinet. Nam cùm obedientia sit renuntiatio quædam integra, per quam omni suo jure sponte decedit religiosus, ut divinæ providentiæ, superioris sui ductu gubernandum, ac possidendum ultrò se addicat ac mancipet: negari non potest, quin obedientia comprehendat non solùm executionem, ut imperata quis faciat; & voluntatem ut libenter faciat: verùm etiam judicium, ut quæcumque superior mandat ac sentit, in quibus nulla sceleris contagio est; eadem inferiori & recta, & vera esse videantur, quatenùs, ut dixi vi suâ potest voluntas intelligentiam flectere. Cuius rei dignitatem & necessitatem etiam ostendit quòd judicio quisque suo falli, & errare potest, & maximè in propriis rebus,

NOTA CORDERI
Boni subditi officium.

bus atque negotiis, in quibus meræ tenebræ ſæpè oboriuntur propter animi perturbationes, quæ lucem & diem eripiunt, ut veriſſimum id vulgare dictum videatur; in cauſa propria neminem bonum & æquum judicem eſſe poſſe.

INSTITVTIO XVIII.

AD OECONOMVM SEV PROMVM CONDVM.

Diſpenſatoris boni conditio.

IN furorem & injuriarum memoriam incidere non vis? ne affectum ullum habeas omninò erga materiam, neque vas ullum qualecumque tibi vendices, neque rurſus ut minimum & nullius pretij contemnas; quia ſi quis etiam illud à te petierit, dona illi: & ſi ex inadvertentia vel negligentia fractum fuerit, aut perierit, ne angaris. Hoc autem facere debes, non ut contemptor vaſorum monaſterij (nam illa omnibus viribus, & omni ſtudio curare debes) ſed tamquam qui temetipſum à perturbatione & tumultu immunem ſervare velis, pro virili ſemper Deo ſerviens. Hoc autem rectè poteris facere, ſi res adminiſtraveris, non tamquam proprias, ſed tamquam Deo oblatas, quarum cura dumtaxat tibi concredita ſit. Hoc enim eſt (ut dixi) illis non affici; illud verò efficit, ut eas minimè contemnas. Si autem ſcopum hunc

non

non habeas, certus esto quia non desines turbari, & turbare.

INTERROGATIO.

Cùm cogitatio mea verbis istis gaudeat, & talis esse velim; quare suo tempore non invenior paratus?

RESPONSIO.

Quia non meditaris illa assiduè; si enim ea suo tempore habere velis, jugiter ista meditare, & assiduus in iis esto, & Deo confido quia proficies. Orationem cum meditatione conjunge infirmorum curam gere, primùm quidem, ut ex hoc (ut sæpè dixi) acquiras affectum commiserationis: Deindè verò, ut quandocumque tu etiam infirmaberis, excitet Deus aliquem qui te curet. *In qua* (enim inquit) *mensura mensi fueritis, remetietur vobis.*

Oratio cum meditatione coniungenda.

Ægrorum cura.

Matt. 7.2.

Si pro virili tua satagas aliquid agere cum conscientia, scire debes, tibique certò persuadere, quòd veram viam necdum noveris, & debes imperturbatè atque æquo, quin & gaudenti animo excipere, quando audies te errasse in illo, quod cum conscientia facere te putaveras. Etenim judicio consodalium tuorum omninò vel defectus corrigitur, vel id quod rectè factum est, securius redditur.

Stude profectui tuo, ut si tibi aliqua sive corporalis, sive spiritualis afflictio contigerit, illam haud molestè ac gravatè, sed cum patientia valeas sustinere. Si audiveris te fecisse rem quampiam, quam mini-

minimè fecisti, ne turberis omninò, neque succenseas, sed statim agnosce culpam tuam, dicens ei cum humilitate, ignosce mihi, & ora pro me, ac deindè taceas prout Patres quoque monuerunt: sin verò interrogatus fueris ab eo, sive res vera sit sive non, agnosce culpam cum humilitate ac veritate narrans quomodo sese res habuerit, & post narrationem iterum culpam tuam cum humilitate dicens; ignosce mihi, & ora pro me.

INTERROGATIO.

Quid faciam, quia non habeo hanc conditionem in conversatione fratrum?

RESPONSIO.

Hanc ipsam quidem conditionem in conversatione fratrum nondum habere potes: sed interim da operam, ne in aliquo scandalizeris, neque quempiam judices, aut ulli obloquaris, neque attendas verbo, aut operi aut gestui fratrum tibi inutili; quin potius stude in omnibus temetipsum ædificare, & noli superbire in verbo, aut opere, ac inaniter gloriari.

Possîde libertatem quamdam in ratione tua vivendi, & in sermone tuo, usque ad rem minimam.

Cognosce quòd si aliquis à quadam vitiosa cogitatione oppugnetur & affligatur, & eam non manifestet, ipse illam contra semetipsum corroboret; veluti vires ei præbens ad amplius oppugnandum & ipsum affligendum; sin verò iterum certamen assumpserit, & cogitationi suæ repu-

repugnaverit,atque contraria illi gesserit, sicut sæpè diximus passionem ita debilitat, ut invalida sit ad ipsum oppugnandum & affligendum, atque hoc modo certans adjuvante Deo sensim superat ipsam passionem. Deus protegat nos precibus omnium sanctorum. Amen.

Nota Corderi.

Ecclesiastici dispensatores sunt, non domini Ecclesiæ bonorum.

HÆc institutio per modum Dialogi concinnata est, instruens œconomum, quo pacto absque animi perturbatione munus suum expleat: ubi obiter animadverte omnium Patrum hanc communem fuisse opinionem, eos qui Ecclesiæ bonis ornantur, non tam eorum esse dominos, quàm prudentes œconomos & dispensatores: atque adeò nullâ opum affectione tangi illos & teneri oportere. Hoc Christi magisterio docti Apostoli, cùm ad illos pecuniæ acervi, & immensæ opes afferrentur, non potentiâ tumidi sese dominos esse putabant affluentium thesaurorum, verùm sollicitos in Dei familia dispensatores. Quare S. Chrysostomus in Psal. 114. ait nihil fuisse ditius Apostolis; ad quos undique incredibilis auri argentique vis affluebat, sed in media illa opulentia & divite censu non efferebantur, ut qui essent, inquit οἰκονόμοι οὐ δεσπόται. *œconomi, non domini.*

INSTI-

INSTITVTIO XIX.

DIVERSÆ SENTENTIÆ COMPENDIOSÆ.

Proprium iudicium abnegandum.

ABbas Dorotheus aiebat fieri non posse, ut is qui proprij sensus proprijque judicij est, alteri obediat, & bono proximi sui obsequatur. Dicebat iterum, quòd cùm simus passionibus obnoxij, nequaquam cordi proprio credere debeamus. Obliqua enim regula etiam ea quæ recta sunt, obliqua reddit.

Adversario bene volendũ.

Rursus ajebat, haud esse magnum non judicare, aut etiam compati afflicto, & tibi se subijcienti: sed magnum esse non judicare, nec alienum animum gerere erga illum, qui tibi ex propria passione contradicit, neque consentire cum illo qui ipsum condemnat, & congaudere ipsi cùm tibi fuerit prælatus. Dicebat item, quòd nisi quis omnem materiam & gloriam atque corpoream recreationem, quin & sui ipsius justificationes contemneret, minimè possit proprias amputare voluntates, neque ab ira tristitiaque liberari, neque proximo quietem adferre.

Passiones extirpandæ.

Præstat dare quam accipere gratiam.

Rursus ne petas (inquiebat) à proximo charitatem, nam is qui petit, turbatur si non consequatur. Quin potius ipsemet proximo charitatem exhibe, ipsumq; recrea, & sic induces proximũ ad charitatẽ.

Ite-

Iterum ajebat: quòd quando quis rem aliquam secundùm Deum fecerit, omninò illi aliqua superveniat tentatio: siquidem omne bonum aut præcedit, aut sequitur tentatio; neque verò firmum est id quod fit secundùm Deum, nisi probatum fuerit per tentationem. Rursum dicebat: Nihil æquè conciliare unionem, quàm ijsdem gaudere, & eadem sapere. *Tentatio probat virtutē.* *Concordia.*

Rursus dicebat: humilitatis esse nullam proximi sui gratiam vilipendere; oportet enim ipsam admittere cum gratiarum actione, quantumvis illa fuerit exigua, & proximus ipse minimus sit. Et rursus. Ego (inquit) si quæ res mihi contigerit, malo eam fieri iudicio proximi, & cum iudicio eius (si sese opposuerit) everti, quàm ex proprio sensu procedere, & habere bonum successum. *Humilitatis est nil vilependere.* *Proprium iudicium alteri postponendum.*

Iterum dicebat: bonum esse in re qualibet necessitati suæ sensim prospicere; non enim expedit quemquam in omnibus habere quietem. *Non in omnibus habenda quies.*

Iterum dicebat: in omni re mihi accidenti, numquam volui humanâ prudentiâ mihi succurrere, sed in re qualibet pro viribus meis ago, & totum deinde Deo committo. *Non humana prudentia sed Deo fidendum.*

Rursum dixit: qui non habet propriam voluntatem, semper propriam facit, siquidem exterius nil habet proprium, quidquid tandem fiat, ipsum benè afficit, & sic invenitur semper facere propriam voluntatem. Non enim vult res fieri, *Res non voluntati, sed voluntas rebus accommodanda.*

prout vult ; sed vult eas, prout fiunt.

Correctio fraterna. Item dixit: non oportere fratrem corrigere illo tempore, quo contra ipsum peccat; sed nec alio tempore causâ propriæ ultionis.

Dilectio Dei. Iterum dicebat, dilectionem illam quę secundùm Deum est, etiam potentiorem esse amore naturali.

Risus in malo. Dicebat iterum: non esse malum cum risu perpetrandum: evenire enim, ut cùm quis malum ridens egerit, post nolens in ipso defigatur.

Cur passiones fugiendæ. Dicebat iterum: non debere quemquam velle liberari à perturbatione animi eò quòd velit eius molestiam effugere, sed eo quòd ipsam exactè oderit, juxta

Psal. 138. 22. illud: *Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.*

Ira ex superbia oritur. Dicebat iterum: fieri non posse ut quis proximo suo succenseat, nisi prius corde adversus eum fuerit elato, ipsumque contempserit, & se illo potiorem duxerit.

Correctio. Dicebat iterum: signum esse quempiam libenter passionem exequi, quando propter ipsam reprehensus aut correctus turbatur. Eius autem reprehensionem sive correctionem imperturbatè ferre, signum est quòd victus sit, vel ignorans eam exercuerit.

NOTA CORDERI.

HÆc doctrina brevissimas quidem, sed utilissimas continet gnomas sive sententias ad animi pacem & tranquillitatem obtinendam, & cum proximo charitatem ac dilectionem fovendam planè accommodatas, cujusmodi in Bibliotheca Patrum à S. Nilo, & Diadocho plures adferuntur.

INSTITVTIO XX.

DE INSENSIBILITATE ET FRIGIDITATE SPIRITVALI.

COntra insensibilitatem animæ, frater plurimùm confert assidua lectio divinarum Scripturarum * cum Patrum deiferorum sermonibus ad compunctionem compositis, & memoria terribilium judiciorum Dei, & exitus animæ de hoc corpore, atque futuri occursus formidabilium potestatum, quibuscum in hac brevi & miserabili vita iniquitatem fecit.

Adhæc verò etiam assistendum formidabili & incorrupto tribunali Christi, & non solùm de actionibus, verùm etiam de sermonibus & cogitationibus ratio coram Deo, & omnibus Angelis ejus universaque absolutè creatura exigenda; quin etiam assiduè recordare *Memoria novissimorum utilis.*

illius

illius ſententiæ,quam horribilis & iuſtus judex adverſus eos qui à ſiniſtris erunt, pronuntiabit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius.* Matt 25.41.

Porro bonum eſt etiam ingentium afflictionum humanarum meminiſſe, vix enim etiam ſic dura & inſenſibilis anima emolleſcat, & in cognitionem veniat proprij ſui ſtatus vitioſi.

Suſpiciones labefactant. charitatem. Ceterùm contingit in te labefactari fraternam charitatem, quia ſuſpicioſas admittis cogitationes & cordi proprio credis,nec quidquam contra propoſitum tuum pati cupis. Imprimis igitur adjuvante Deo nullàm omninò propriis ſuſpicionibus fidem adhibere debes,& omnibus viribus operam date ut te fratribus humilies, iiſque propriam ſubmittas voluntatem; ſi quis eorum tibi contumeliam irrogaverit, aut aliter afflixerit, ora pro eo, quemadmodum Patres monuerunt, tamquam pro ſummo benefactore tuo, & libidinis tuæ medico. Hinc furor tuus minuitur,cuius frenum charitas eſt, ſecundùm Patres.

Ante omnia autem Deum precare, ut det diligentiam & prudentiam quâ cognoſcas quæ ſit voluntas eius bona,& beneplacens, & perfecta, atque inſuper facultatem ad omne bonum opus perficiendum.

NOTA

Nota Corderi.

* *CVm Patrum deiferorum ſermonibus ad compunctionem.*] In græco eſt: μετὰ κατανυκτικῶν λογίων, quod antiquus interpres vertit *poſt nocturnos ſermones*, cùm vertere debuiſſet *ſermones compunctorios*, ſive ad compungendum aptos. Intelligit enim dicta Patrum, exquiſitas ſententias, quæ compunctionem, ſive pium animi ſenſum commovere ſolent, ἀπὸ τοῦ κατανύττεσθαι *compungi*. Nam ἀπὸ τῆς νυκτὸς non niſi in tenebris haurire potuit interpres ſuos iſtos nocturnos ſermones.

INSTITVTIO XXI.

CONTINENS ASCETICAS INTERROGATIONES ET RESPONSIONES.

INTERROGATIO I. Quomodo potero nimiam libertatem reſtringere, & linguam meam continere?

RESPONSIO. Per luctum.

INTERROG. II. At quomodo poſſum ſervare luctum, inter homines ingrediens & egrediens, & fungens miniſteriis? Et éſtne luctus ſine lacrymis?

RESP. Non luctus ex lacrymis, ſed lacrymæ ex luctu [promanant.] Qui autem inter homines verſatur, & propriam volun-

voluntatem frangit, neque delictis hominum attendit, is luctum possidet. Hinc enim cogitationes eius colliguntur, & collectæ gignunt in corde luctum illum qui secundùm Deum est, luctus verò lacrymas.

Interrog. III. Quid ignominiæ tolerantia confert ad quietem?

Patientiæ utilitas, & necessitas. Resp. Qui est in ære alieno, nisi nomina deleverit, quocumque abierit debitor est, nec habet libertatem ullibi cum securitate sedendi: mox autem ut opprobriis hominum laboraverit, rubore suffunditur, & tunc præstat debitum. At quando liberatur, tunc cum fiducia, & magna libertate in populo versari, & ubicumque voluerit sedere potest. Ita etiam homo si conetur pro peccatis à se commissis, contumeliam, ignominiam, damna patienter tolerare, addiscit humilitatem & laborem, quapropter etiam peccata eius condonantur, juxta quod scriptum
Psal.24.18. est: *Vide humilitatem meam & laborem meum*, &c. Considera autem quantas injurias & opprobria Dominus ante crucem sustinuerit, & post hæc ad crucem accesserit. Eodem modo nullus ad tranquillitatem perfectam quæ quidem fructum ferat, & ad quietem sanctam perfectionis pervenire potest, nisi primùm Christo compassus fuerit, & omnes eius passiones sustinuerit, memor Apostoli
Rom.8.17. dicentis: *si tamen compatimur ut & conglorificemur*. Noli itaque errare. Nam præter hanc

hanc non eſt alia ſalutis via. Dominus pro voluntate ſua tibi ſuccurrat, ut benè fundes domum tuam ſupra petram quæ Chriſtus eſt.

Interrog. IV. Dic mihi Domine; quænam via expeditior ſit ad ſalutem laborum ne an humilitatis? & de oblivione & affectu erga aliquos, & de cuſtodia oculorum.

Resp. Labor verus non eſt abſque humilitate; labor enim per ſe fruſtraneus eſt, & in nihilum reputatur. Ait enim: *Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.* Qui igitur hanc habet, celeriter pervenit [ad ſalutem.] ſimiliter & qui humilitatem habet cum contemptu; contemptus enim laboris locum obtinet. Qui autem ſolam habet humilitatem, ingreditur quidē, ſed tardius.

Labor coniungitur humilitati.

Pſal. 24. 18.

Porrò ſi quis veram humilitatem obtinere voluerit, nulla penitus in re ſibi ipſi ſuffragetur; atque hæc eſt vera humilitas.

Qui accipit ignem illum quem venit Dominus mittere in terram, is oblivionem & captivitatem non admittit, cùm habeat ſemper ſenſum ignis.

Luc. 12. 29.

Ignis vehementer ſenſum afficit.

Sume igitur exemplum. Si quis homo repertus fuerit in articulo mortis, atque ignis ipſi applicetur, ſtatim illum ſentit ob dolorem, & quocumque alio demum modo captivus quis fuerit, inciderit autem in ipſum carbo ignis, non pergit in captivitate ignem tangere mi frater, ſed

cum

cum extinguit, ne sit ignis residuus. Quòd si etiam à captivitate liberari volueris, non potes aliter, nisi tibi paternum hunc ignem paraveris; à calore enim illius ista disparent. Possidet autem quis ignem hunc cùm Deum desiderat.

Familiaritas vitanda. Bonum est autem non admodum fovere familiarem cum æquali suo amicitiam. Jstiusmodi enim consuetudo luctui aditum præcludit, neque erga quemquam qui tibi luctum auferat, amicum te præsta, siquidem non prodest tibi, sed magis obest.

Nemo potest boni quidpiam obtinere, nisi magno labore. *Oculi cautè custodiendi.* Erudi igitur oculos tuos ne quemquam intueantur, néve cor tuum impleant noxiâ libertate, quæ universos monachi labores faciat interire.

Nisi frater hæc omnia cor exercuerit, nocte dieque Dominum quęrens, nequaquam homo potest proficere. Si autem his vacaveris, ad illa pervenies. Ait enim: Psal. 45. 11. *Vacate*, &c. det tibi Dominus hæc intelligere.

INTERROG. V. Quid conferat contemptus ad humilitatem? & quid sit item cordis contritio? & utrum quis contemptum possideat hoc ipso quo quis semetipsum in corde suo se humiliat: vel etiam opus sit externis hominum opprobriis ac contumeliis, aut etiam vilioribus actionibus? Adhæc utrum humilis exercere debeat humiles actiones, vel etiam humiliter loqui?

RESP.

Resp. Contemptus duos habet modos, unum à corde, alterum ab hominibus illatum. Major autem contemptus est ab hominibus, quàm à corde. Non enim tantum laborem facessit is qui ex corde, quàm qui ab hominibus promanat. Cor enim valdè laborat in eo contemptu qui extrinsecùs irrogatur. Quempiam enim sponte suâ currere ad vilia exercitia haud multum ad profectum, quin fortè potius ad vanam gloriam conducit: at vile quidpiam præcipi, nec contradicere, sed cum obedientia exequi hoc facit ad profectum, & sui contemptum obtinendum. *Contemptus duplex.*

Contritio cordis est, non permittere ipsum murmurare cum alienis cogitationibus. *Cordis vera contritio.*

Humilitas est nullius omninò semetipsum æstimare, ac propriam voluntatem in omnibus amputare Jtaque omnibus subijci, & quæ ab aliis irrogantur imperturbatè tolerare, vera profectò humilitas est, in qua inanis gloria locum non reperit. Humiliter autem loqui vanam gloriam parit, & magis nocet quàm prosit, sed satis est dicere, ignosce & ora pro me. *Humilitas vera.*

Interrog. VI. Vtrum in rebus bonis, aut indifferentibus oporteat amputare voluntatem suam, aut etiam in his, in quibus violatio præcepti intervenit? & si id quod jubetur, statum meum excedere deprehendatur, utrum debeam me excusare, ne postmodùm in tristitiam & perturbationem incidam? Præterea si

O quis

quis reperiatur, cui quidpiam ab Abbate petito opus sit, meumque in isto negotio auxilium imploravit; præstabone, si (ut prorsus existimo) id honori meo non conducat? Ad hæc si quis preces meas requirat; velimne manus extendere atque ipsum adjuvare? Quousque oportet excusare, aut contendere, ubi est trangressio præcepti?

Humilis debet abnegare voluntatem.

Joan.6.38.

RESP. Frater, qui vult verè humilis esse, non debet ulla in re prorsus habere voluntatem, prout Dominus docens dixit: *Veni in mundum, non ut faciam voluntatem meam*, &c. Qui enim vult facere quidquid ab eo petitur, vel superiore suo se magis perspicacem ostendit, vel à dæmonibus illuditur; quæ utraque mala sunt, & diabolica. Quare in omnibus obedire debes. Abbas enim qui tibi præcipit, judicium tuum portat, tamquam pro te rationem redditurus. Si tibi grave videatur id quod præcipitur, ipsum interroga, & ipsius judicio negotium committe. Si autem fratres sint, qui injungunt, & vides aut existimas rem esse noxiam, aut vires tuas excedere, rursus Abbatem interroga, & fac quæ tibi dicit. Si enim velis non solùm res, sed etiam homines dijudicare, tibimetipsi molestiam accerses; sed ubi videtur negotium esse bonum, ibi etiam fratribus obedientiam exhibeto: ubi verò cogitatio tua distrahitur, aut vires tuas excedit, aut damnum adfert, communica cum Abbate tuo, & fac quod decernit.

Ipse

Ipse enim scit quid faciat, & quomodo curet animam tuam, & acquiesce.

Crede igitur, quod quidquid dixerit tibi secundùm Deum sit. Quidquid autem secundùm Deum est, id etiam utile est, & molestiam aut perturbationem nullam adfert. Ex bono enim nullum malum egreditur, Nam *omnis arbor bona, fructus bonos facit.* Matt. 7. 17.

Cùm autem quis operâ tuâ indiget apud Abbatem, fac ut præceptum impleturus, quod ab Abbate audivisti. Si enim tibi curam portæ commiserit, dicens: indica mihi omnem hominem ingredientem, ex temetipso teipsum judicas utrum mandatum expleas: utrum autem Abbas habeat aliquid illi dicendum, aut non dicendum, ad te nil attinet.

Quantum ad hoc verò, si ingressus fueris cellam fratris tui, aut si dixerit ipse tibi ut ores usque ad tertiam vicem, dic ignosce mihi. Et si post tertiam vicem institerit; tunc facito cum humilitate. Tu quoque dic tertiò alicui, & si nolit, cessa cum pace, & non affligas eum. Atqui hæc est vera via Dei; in qua attende tibi ipsi, ut sine hypocrisi opereris in corde puro, Deo tibi manum porrigente, & per gratiam suam opitulante.

De ratione victus.

INTERROG. VII. Vtrum is cuius valetudo nondum omninò prostrata est, corpori suo indulgere debeat quoad victum? Quid si verò quis cibum consuetum nauseet: quid si etiam cùm nihil patiatur,

cibum aliquem recuset, eo quòd hanc vel illam passionem generet, utrum rectè faciat?

Resp. Si viderit homo semetipsum non turbari, neque oppugnari aliquâ passione, debet parumper corpori condescendere; si verò oppugnetur, nequaquam. Manifestum est enim apparentem hanc infirmitatem esse à dæmonibus. Nam in vera infirmitate quæ à Deo est, bellum etiam remittitur. Quare conducit ubi bellum est, labore corpus atterere, quantumvis incideret in infirmitatem; alioquin enim animam eijcit.

Quod si autem causa invaletudinis fuerit manifesta; ut si v. g. ex itinere aut gravibus ulceribus corpus debilitatum sit, oportet illi condescendere, modestè tamen, & non ultra necessitatem, quandoquidem etiam dæmones subinde aliquid de suo admiscent. Ceterùm in ægra valetudine fit nonnumquam, ut quis aliquantulùm cogere possit suam cogitationem; sin secus, paululùm ipsi indulgeat. Nam & ista quædam imbecillitas est.

Si quis autem sciat cibum aliquem morbum gignere, non debet ex eo manducare. In eo vinci deprehenditur, quod debet cavere: da operam ne hoc tradas oblivioni, confidens te una cum iis qui à Deo adjuvantur & salvantur, servatū iri.

Interrog. VIII. Si convescens cum fratribus, necessitati meæ citius satisfecero, decétne ut surgam, an ut maneam, donec

donec ſurgant omnes? ſi autem dimenſum panis mei obſoniis omnibus commetiar, meliúſne agam?

Resp. Cum aſſides menſæ, ſi videris te neceſſitati tuæ ſatisfeciſſe, & non poſſis ſedere nil comedens, ſurge; ſed eò præſtat ſedere & non comedere. His duobus autem melius eſt buccellam tuam omnibus obſoniis coëxtendere.

Interrog. IX. Quid faciam quia timeo confuſionem ignominiæ, & in conſortium aliquorum incidero, prorſus in eam trahor, & capior, ita ut fermè obliviſcar mei ipſius; & tamen vereor eos dimittere.

Resp. Si tendat ad ædificationem, & non interveniat negotium magis neceſſarium, ſubſiſte quamdiu loquitur. Si autem ſermo ſit inutilis, dic ignoſce mihi quoniam imbecillis ſum. Quò ad confuſionem autem conſidera cōmunem illam quæ peccatoribus coram Domino futura eſt, & temporalem pro nihilo habe.

Nota Corderi.

HÆc Inſtitutio novem interrogationibus, totidemque reſponſionibus, conſtat, ad vitam religiosè inſtituendam admodum opportunis quæ cùm peculiarem nullam contineant difficultatem, non opus eſt pluribus.

INSTITVTIO XXII.

EXPOSITIO QVARVMDAM SENTENTIARVM S. GREGORII NAZIANZENI DE PASCHATE.

LIbenter vobis pauca loquerer de Psalmis quos psallimus, ne inter modulandum distrahamini, sed ut ipsa quoque mens vestra, prout par est, virtute verborum concalescat.

Solemnitas festi Paschalis.

Quid igitur modo psallebamus. *Dies est resurrectionis, nosmetipsos primitias offeramus.* Quandoquidem filij Israël antiquitus in festis seu solemnioribus conventibus juxta legem Domino munera offerebant; utpote sacrificia, holocausta, primitias, & alia hujusccemodi: monet nos S. Gregorius ut illorum more festum Domino agamus, ad quod hortatur, dicens; Resurrectionis dies est: hoc est, dies sanctæ solemnitatis, dies divinæ celebritatis, dies Paschatis Christi.

Quid est Pascha Christi? Filij Israël fecerunt Phase, cùm exirent de Ægypto. Præsens autem Pascha, ad quod celebrandum S. Gregorius nos adhortatur, peragit illa anima quæ de spiritali Ægypto, id est, peccato egreditur. Quando enim anima de peccato ad virtutem transit, Phase Domino facit, sicut dicebat Eua-

Euagrius; *Pascha Domini est transitus à malitia.*

Hodie Pascha Domini est, splendidæ solemnitatis dies, resurrectionis Christi dies, qui peccatum nostrum cruci affixit, & pro nobis mortuus est, & resurrexit. Offeramus igitur & nos dona Domino, sacrificia & holocausta, non irrationabilium animalium, quæ Christus non appetit: sacrificium enim & oblationem brutorum noluit Dominus, & holocausta vitulorum & ovium non probavit, ut ait Isaias: *Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus?* &c. Sed cùm Agnus Dei pro nobis immolatus sit, (juxta illud Apostoli. *Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus*) ut tollat peccata mundi; *& factus sit pro nobis maledictum, quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno,* ut nos redimeret à maledicto legis, & ut filiorum adoptionem reciperemus: debemus & nos illi jam munus aliquod, quod placeat, offerre.

Pascha mysterium quale?

Isa. 1. 11.

1. Cor. 5. 8.

Gal. 3. 13.

Quale igitur munus aut quale sacrificium debemus offerre Christo in die resurrectionis ut ipsi placeat: quandoquidem brutorum animalium sacrificia non cupit. Ipse iterùm sanctus etiám hoc nos docet: nam cùm dixisset: *Resurrectionis dies est,* subjunxit: *nosmetipsos primitias fructuum offeramus:* quemadmodum etiam ait Apostolus: *Exhibete membra vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.*

Rom. 12. 1.

Quæ sit hostia vivens. Quomodo igitur debemus exhibere corpora nostra hostiam viventem, sanctam Deo? Non amplius, scilicet faciendo voluntates carnis & cogitationum nostrarum, sed spiritu ambulando, & concupiscentiam carnis minimè perficiendo. Hoc enim est mortificare membra quæ sunt super terram. Hæc dicitur hostia vivens: quoniam irrationalitas in sacrificium abducta, in eodem mactatur & moritur. Viri sancti dum semetipsos Deo primitias offerunt, viventes immolant semetipsos Deo per singulos dies, sicut ait David: *Quoniam propter te mortificamur* Psal. 43.22. *totâ die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Hoc est quod ait S. Gregorius, ut *primitias offeramus nosmetipsos*; id est, mortificemus nosmetipsos totâ die, sicut fecerunt omnes sancti propter Christum Deum nostrum, qui pro nobis mortuus est.

Quomodo autem semetipsos mortificaverunt? dum scilicet non dilexerunt mundum, neque ea quæ in mundo sunt,
1. Ioan. 2. 15 (ut in Catholicis epistolis dicitur:) sed renuntiarunt concupiscentiæ carnis, & concupiscentiæ oculorum, & superbiæ vitæ; hoc est voluptati, avaritiæ, vanæ gloriæ, tollentes crucem, ac sequentes Christum, & mundum sibi ipsis crucifigentes, atque semetipsos mundo, de quibus Apostolus ait: *Qui autem sunt Christi,*
Galat. 5.24. *carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis.* Ecce hoc modo sancti semetipsos mortificaverunt.

Quo-

Quomodo autem ſemetipſos quoque primitias obtulerunt? dum ſibi ipſis non vixerunt, ſed mandatis Dei ſeſe mancipa-runt, propter illa voluntates ſuas deſerentes charitate Dei & proximi, quemadmodum S. Petrus dixit: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Quid reliquit? Non enim pecunias habebat aut poſſeſſiones, aut aurum, aut argentum: ſagenam habebat, eamq; veterem, ut S. Ioannes Chryſoſtomus ait, & dimiſit (ut dixit) omnes voluntates ſuas, omnem affectum huius ſæculi; unde manifeſtum fuit, quòd ſi pecunias aut divitias habuiſſet, illas etiam contempſiſſet, & tollens crucem ſuam ſecutus fuiſſet Chriſtum ſecundùm illud: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Chriſtus.* Ecce hoc modo Sancti ſeſe primitias obtulerunt, ſemetipſos (ut diximus) ab omni affectione & propria voluntate mortificantes, ſolique Chriſto & præceptis eius viventes.

Quomodo ſancti ſe in primitias Deo offerāt?

Matt. 19. 27.

Galat. 2. 20.

Sic igitur & nos (ut docet S. Gregorius) noſmetipſos primitias offeramus. Vult enim nos pretioſiſſimam Dei poſſeſſionem. Et verè creaturarum omnium aſpectabilium pretioſiſſimum eſt homo. Illas enim creator produxit verbo dicens: fiat hoc, & factum eſt. Et iterum: Producat terra hoc, & factum eſt, & producant aquæ, &c. quæcumque ſunt hujuſmodi: hominem verò propriis manibus formavit ornavitque. Atque omnia quidem illa in miniſterium ac recreatio-

Gen. 1.

Homo pretioſiſſima creatura.

 nem

nem hominis ordinavit, ipsum verò horum omnium regem constituit, atque deliciis paradisi frui fecit: & quod admirabilius est, ipsum etiam per peccatum proprium inde delapsum, per sanguinem unigeniti filij sui rursum revocavit.

Itaque homo rerum omnium aspectabilium pretiosissima possessio est Deo, neque solùm pretiosissima, (ut dixit sanctus ille) verùm etiam maximè familia-
Gen.1.26.& ris, *Faciamus* (enim inquit). *hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem* Et iterum. *Fecit Deus hominem, ad imaginem*
Gen.2.7. *Dei fecit eum: & inspiravit in faciem eius spiraculum vitæ.* Quin & ipse Dominus peregrè ad nos veniens, formam hominis assumpsit, & carnem hominis novi, atque absolutè loquendo, fit omnia quæ homo absque peccato. Propterea etiam hominem Deo familiarem constituimus, ac si diceremus privatum ac proprium. Rectè igitur, convenienterque hic sanctus dixit hominem esse pretiosissimam possessionem.

Postmodùm adhuc clarius infert: reddamus imagini, quod est ad imaginem. Quomodo autem hoc fiat: discamus ab
2.Cor.7.1. Apostolo dicente: *Mundemus nos ab omni iniquinamento carnis & spiritus.* Imaginem nostram, qualiter eam accepimus, mundam faciamus; abstergamus ab ea sordes peccati, ut ipsius pulchritudo per virtutes appareat. Pro hac pulchritudine Da-
Psal.29.8. vid orat dicens: *Domine in voluntate tua præsti-*

Peccatum fœdat imaginem Dei in nobis.

præstitisti decori meo virtutem. Expurgemus igitur imaginem nostram. Exigit enim illam à nobis Deus, qui eam dedit, non habentem maculam, neque rugam, aut quid simile. Reddamus imagini id quod ad imaginem est. Agnoscamus nostram dignitatem; dicamus quàm magnis bonis digni habiti simus; intelligamus ad cujus imaginem facti simus Non ignoremus magna nobis ab ipso donata, propter solam suam bonitatem, non propter nostram dignitatē, meritúmve nostrum. Sciamus nos ad imaginem Dei creatoris nostri factos esse, honoremus archetypum, nec afficiamus contumeliâ imaginem Dei, ad quam facti sumus.

Quis regiam aliquam depingere volens imaginem, squallidum aliquem colorem imagini apponere audeat, & Regem à quo puniendus sit, inhonorare? quin potius apponit colores omnes pretiosos ac splendidos, & regis imagine dignos. Nonnumquam etiam laminas aureas regum imaginibus inserit, atque omnes vestes regias, quoad fieri potest, exprimere studet in imagine; ut cùm quis illam imaginem totam figuram regiam exhibere conspexerit, ipsúmmet fermè Regem se videre arbitretur, atque archetypum intueri, usque adeo nimirum imago illa gloriosa est & illustris. *Regiæ imagines honorantur.*

Et nos igitur archetypum nostrum minimè inhonoremus. Ad imaginem Dei facti sumus. Quapropter puram & pretiosam

tiosam

tiosam efficiamus propriam imaginem, atque archetypo dignam. Si enim is qui sensibili & similiter ut nos geniti Regis imaginem inhonorat, puniatur: quid nos perpeti debebimus, qui divinam in nobis imaginem contemnimus, neque illam (ut sanctus hic ait) puram & immaculatam reddimus? Honoremus igitur archetypum & cognoscamus vim mysterij pro quo mortuus est Christus.

Virtus autem mysterij mortis Christi est hujusmodi, quoniam id quod ad imaginem Dei in nobis erat, per peccatum deleveramus, & idcircò (ut ait Aposto.)
Ephes. 2. 1. *cùm essemus mortui delictis & peccatis.* Deus qui ad imaginē suam nos fecerat, proprij plasmatis, propriæque imaginis misertus, propter nos homo factus est, atque pro omnibus mortem suscepit, ut nos mortuos ad vitam, ex qua per inobedientiam excideramus, revocaret. Ipse enim in sanctam suam crucem ascendens, atque peccatum, propter quod è paradiso ejecti fueramus, cruci affigens, (ut scriptum est)
Ephes. 4. 8. *captivam duxit captivitatem*; quid est captivam duxit captivitatem? A transgressione nimirum Adæ, hostis nos in captivitatem redegerat, & subactos habebat; hinc igitur animæ de corporibus hominum egredientes, in infernū abibant: clausus enim erat paradisus. Christus ergo in sanctæ ac vivificæ crucis altitudinem ascendens, per proprium sanguinem nos liberavit à captivitate, quâ nos hostis propter transgres-

ſionem detinebat; id eſt eripuit nos rurſum de manu inimici, & quaſi denuò nos captivavit, victo & ejecto illo qui nos captivos ceperat; quamobrem dicitur captivam ducere captivitatem.

Hæc eſt virtus myſterij. idcirco Chriſtus própter nos mortuus eſt, ut nos mortuos (quemadmodum vir ſanctus ait) ad vitam revocaret. Itaque per Chriſti benignitatem ex inferno liberati ſumus, & in manu noſtra eſt redire ad paradiſum. Non enim amplius tantam hoſtis tyrannidem exercet ut prius, neque nos ſibi mancipatos habet.

Hoc tantùm ſatagamus fratres, ut caveamus nobis ab actuali peccato. Quoniam (ut ſæpè vobis dixi) omne peccatum actuale, denuò nos ſervituti ſubijcit, quia ſponte noſtrâ noſmetipſos deijcimus, & in ſervitutem tradimus.

Numquid pudor eſt & magna miſeria, ſi poſtquam nos proprio ſanguine ex inferno liberavit, iterum noſmetipſos in infernum proijciamus? numquid non graviori adhuc & magis miſerando digni ſumus ſupplicio? Deus clemens miſereatur noſtri, & det nobis ſtudium intelligendi, & opem ferendi nobis ipſis, ita ut paululum miſericordiæ ab eo impetremus.

NOTA

NOTA CORDERI.

HÆc Institutio non opus habet declaratione, cùm sit clara; docens quâ ratione Pascha nobis spiritualiter celebrandum sit, nos in primitias, & hostiam viventem ac sanctam Deo consecrando, eiusdemque imaginem ad amussim in nobis exprimendo, & virtutum coloribus exornando.

INSTITVTIO XXIII. EXPOSITIO SENTENTIÆ S. GREGORII NAZIANZENI DE MARTYRIBVS.

Quomodo festa colenda sint.

IDcircò bonum est è sermonibus sanctorum deiferorum aliquid decantare; quia ubìque student semper docere nos quæcumq; ad animarum nostrarum illuminationem conducunt. Quare nobis etiam propositum est ex opportunis eorum sermonibus ipsammet quoque celebratæ memoriæ virtutem semper addiscere, sive Dominica solemnitas, sive sanctorum Martyrum, sive Patrum, sive qualiscumq; demùm sacra & illustris dies fuerit. Itaque cum vigilantia psallendum & mens nostra nobis ad sacrorum verborum virtutem applicanda, & non tantùm os (prout dicitur in libro Seniorum) sed etiam cor nostrum una cum ore psallat.

Quomodo psallendum sit?

Didici-

Didicimus igitur pro captu nostro ex priori Psalmo pauca de sancto Paschate. Videamus etiam nunc, quid D. Gregorius de sanctis martyribus docere nos gestiat. Nam Psalmus ille quem modo è sermonibus eius citavimus, de ipsis quoque dicit: *sacrificia viventia*, *holocausta rationabilia*, &c.

Quid est *sacrificia viventia*? sacrificium est, quidquid consecratum est ad immolandum Deo, exempli causa ovis aut bos, aut quid simile. Quare igitur vocat sanctos martyres sacrificia viva? quia nimirum, ovis cùm ad immolandum ducitur primùm ingulatur, & moritur; posteà dividitur in partes & conciditur, ac Deo offertur. Sancti verò martyres viventes concidebantur, carnibus abrasis, totti, membratim dissecti. Tortores enim aliquando ipsis manus, & pedes, & linguas abscindebant atque oculos eruebant, insuperque latera dissuebant; ita ut etiam compositio & compages viscerum appareret. Hæc autem omnia sancti (ut dixi) viventes, sustinebant, adhuc in corporibus animas habentes, quamobrem sacrificia viventia nuncupantur.

Sacrificium quid?

Martyres sunt sacrificia viventia.

Sed cur *holocausta rationabilia* nominantur? quia nimirum aliud quoque est genus sacrificij, in quo non totam ovem, sed eius tantùm primitias offerunt; prout in lege dicitur, v. g. brachium dextrum, & fibram hepatis, ac duos renes, & his similia: qui hæc offerebant, sacrificia offerebant

Sacrificij & holocausti differentia.

bant per modum primitiarum; & hoc dicitur sacrificium. Holocausta verò sunt, quando totam ovem, aut bovem, vel quidquid offertur, totum comburunt; ut præcipitur in lege, caput cum pedibus & intestinis; nonnumquam etiam pellem, & fimum, atque absolutè totum ex toto comburunt. Et hoc erat propriè holocaustum. Ita peragebant sacrificia & holocausta filij Israël secundùm legem.

Porrò sacrificia & holocausta illa symbola erant animarum salutem quærentium, & Deo sese offerentium; de quibus ego etiamnum vobis pauca referam ex iis quæ sancti Patres tradiderunt, ut quando illa legitis, cogitationes vestras parumper eleveris, atque anima vestra impinguetur.

Brachium & manus sunt symbola actionis. Brachium dicunt esse vitam actuosam, pro qua etiam manus accipiuntur, ut diversis vicibus diximus, brachium virtutem esse manus. Obtulerunt igitur virtutem manus dexteræ, hoc est bonorum operum, dexteram enim pro bono accipiunt, & alia omnia quæcumque diximus. v. g. fibra hepatis, & duo renes atque adeps eorum, & lumbi, atque adeps femorum, & cor, & pectusculum, & quæcumque sunt istiusmodi, similiter quo-

2.Cor. 10.11 que symbola sunt. *Hæc enim omnia* (ut ait Apostolus) *in figura contingebant illis, scripta sunt ad correptionem nostram.*

Atque huius rei rationem vobis edisſero. Anima (ut ait S. Gregorius) tripar-

rita

tita est. Habet enim vim concupiscibilem, & irascibilem & rationalem. Offerebant igitur fibram hepatis. Hepar accipiunt Patres pro concupiscentia; fibra verò hepatis est extremitas ejus. Offerebant ergo illi symbolicè extremitatem partis concupiscibilis; id est primitias eius, scilicet partem eius optimam pretiosissimamque. Quod significat nihil præ Deo esse diligendum, neque quidquam ex omnibus appetibilibus præ Deo appetendum esse.

Tres animæ potentiæ, Deo immolandæ.

Diximus autem illos partem pretiosissimam Deo obtulisse; id quod renes cum adipe ipsorum, & lumbus, adepsque femorum proportione quâdam significant. In his enim sedem esse dicunt concupiscentiæ. Ecce hæc sunt symbola partis concupiscibilis.

Partis autem irascibilis symbolum est cor, in eo enim sitam esse dicunt iram, atque hoc sanctus quoque Basilius significat, dicens: ira est ebullitio sanguinis circa cor.

Pectusculum verò symbolum est partis rationalis; pro hac enim pectus accipiunt. Quapropter etiam Moysem ajunt cùm Aaronem indueret veste pontificiâ, ex præcepto Dei supra pectus eius rationale posuisse. Hæc igitur omnia, ut diximus, signa sunt animæ per actuosam vitã sese adjuvante Deo expiantis, & ad statũ naturæ consentaneũ redeuntis. Ait enim Evagrius animam rationalem tunc secundùm

cundùm naturam suam agere, quando pars ejus appetibilis virtutem appetit, irascibilis verò pro eadem certat, rationalis verò intendit contemplationi eorum quæ facta sunt.

Quando igitur offerebant ovem, aut bovem vel aliud quidpiam simile in sacrificium, accipiebant illa filij Israël ab offerente, & imponebant super altare in conspectu Dñi, idque sacrificium dicebatur.

Holocaustum quid. Holocaustum autem erat, cùm totum ex toto offerebant, ipsumque (prout superius diximus) sanum, integrum, perfectum penitus comburebant. Hoc perfectorum est symbolum, scilicet eorum qui
Matt. 19.27 dicunt: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Ad hanc mensuram perfectionis hortabatur Dominus illum, qui dixerat
Luc. 18.21. ei: *Hæc omnia custodivi à juventute mea.* Respondit enim illi dicens: *Adhuc unum tibi deest.* Quale illud? *Tolle crucem tuam, & sequere me.*

Sic igitur sancti Martyres totos sese Deo obtulerunt, neque solum, sed & quæ ipsorum erant, & quæ circa ipsos: Aliud enim nos sumus (ut ait S. Basilius) & aliud nostrum, & aliud id quod circa nos est. Nos (ut aliàs dixi vobis) sumus mens & anima, nostrum est corpus, circa nos sunt possessiones, & aliæ materiæ. Obtulerunt igitur sancti semetipsos Deo toto corde, totâ animâ, totâ virtute, juxta quod scri-
Deut. 6. 5. ptum est: *Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente*

mente tua. Non solùm enim filios, uxores, gloriam, pecunias, & reliquam omnem substantiam, sed etiam sua propria corpora contempserunt, quapropter dicuntur *holocausta, rationabilia* verò quia homo est animal rationale, & *sacrificia perfecta Deo.*

Deinde sequitur: *Deum cognoscentes & à Deo cognitæ oves.* Quomodo Deum cognoscentes? sicut nimirum ipse Dominus ostendit ac docuit, dicens: *Oves meæ vocem meam audiunt; & cognosco meas; & cognoscor à meis.* Quare dixit: Oves meæ vocem meam audiunt? id est, sermoni meo obediunt, & mandata mea custodiunt, & idcircò cognoscunt me. Per observantiam enim preceptorum sancti appropinquant Deo, & quantùm ipsi appropinquant, tantumdem ipsum cognoscunt, & cognoscuntur ab illo. Ioan. 10. *Sancti cognoscunt Deũ & ab eo cognoscuntur.*

Ceterùm cùm Deus omnia cognoscat, etiam occulta, & profunda, & ea quæ non sunt, cur igitur de sanctis ait, quòd sint cogniti Deo? Quia (ut dixi) per præceptorum observantiam ipsi approquinquantes, cognoscũt ipsum, & cognoscuntur ab ipso. Quantùm enim quis abscedit & elongat semetipsum ab aliquo, tantumdem dicitur ipsum ignorare, & ab ipso ignorari: sicut & approquinquans similiter dicitur cognoscere & cognosci. Secundùm hoc igitur etiam Deus dicitur ignorare peccatores, quatenus semetipsos ab eo elongant, quapropter etiam alibi ait: *Amen amen dico vobis, nescio vos.*

San-

Sancti igitur ut sæpè dixi, in quantum per præceptorum observationem sibi virtutes comparant, in tantum Deo familiares fiunt, & quantò ipsi familiariores sunt, tantò magis eum cognoscunt, & cognoscuntur ab eo.

Mandra quid? Quorum mandra lupis inaccessa est: *Mandra* dicitur locus circumseptus, in quo pastor colligit & custodit oves, ne à lupis rapiantur, aut à furibus abigantur. Quod si aliqua ex parte mandra fragilis fuerit & debilis, facilè pervia fit insidiis tam luporum, quàm furum. Mandra igitur sanctorum undique munita est & custodita, quemadmodum Dominus ait: *Matt. 6. 20.* *Vbi fures non effodiunt*, neque quidquam, aliud adferre potest detrimentum.

Oremus igitur fratres, ut & nos digni habeamur, qui una cum illis pascamur & in beato illo deliciarum atque quietis ipsorum loco inveniamur. Etsi enim ad statum sanctorum non pervenimus, & ipsorum gloriâ indigni sumus, possumus tamē efficere ne paradiso excidamus, dummodò vigilemus, & vim aliquam nobis inferamus, quemadmodum sanctus Clemens ait: Tametsi quis non coronetur, satagat nihilominùs, ne procul absit à coronatis. Vt enim in palatio sunt ampla ac splendida munia v. g. senatorum, patriciorum, decurionum, ducum, silentiariorum, sive consiliariorum intimorum, sunt enim ista munia valdè pretiosa. Sunt autem & alij in eodem palatio militantes pro

pro paucis nummis, & tamen ipsi quoque dicuntur militare Regi, & quamvis magnatum illorum gloriam non habeant, & ipsi tamen in palatio sunt. Quin & contingit aliquando, ut & ipsi sensim proficientes, magna munia & splendidas dignitates consequantur. Ita & nos peccatum actuale evitare studeamus ut saltem infernum evadamus, & sic per Dei clementiam precibus sanctorum omnium in ipsum etiam paradisum ingredi valeamus, Amen.

NOTA CORDERI.

HÆc etiam Institutio ejusdem ferè est argumenti cum superiore, ad martyrum exstimulãs imitationem. Quare nihil hîc amplius addendum censeo, uti nec sequentibus epistolis quod minimè difficiles sint.

EPISTOLÆ S. DOROTHEI.

I. Ad fratrem tentatione oppressum.

PRimùm quidem fili, nos latent Dei administrationes, adeoq; illi permittenda nostri gubernatio. Quod & nunc maximè nobis faciendum est. Si enim ea quæ occurrunt, humanis rationibus censere volueris, & non potius in Deum reijcere curam tuam, plurimùm laborabis. Oportet igitur cùm adversæ tibi cogita- *Providentiæ Dei fidendũ.*

tiones quæ anguſtias creant adveniunt, clamare ad Deum: Domine prout vis,& prout noſti,guberna negotium hoc. Multa namque præter opinionem ſpemque noſtram divina facit providentia; & res ſecus quàm ſperabantur experimento conſtat aliter eveniſſe. Et ſimpliciter (ut dixi) non volendum aut exiſtimandum humanis cogitationibus,diabolica conſilia ſuperari. Abbas Paſtor hæc ſciens, ait homini in tentatione exiſtenti dictum eſſe; ne de craſtino ſollicitus ſis. Credens igitur fili hæc vera eſſe, dimitte omnem propriam cogitationem, tametſi prudens ſit, & tene ſpem in Deum, qui *facit ſuperabundanter quàm petimus aut intelligimus.* Epheſ.3.20. Potuiſſem omnibus quæ dixiſti, reſpondere; ſed nolo tecum pugnare, imò nec mecum; ſed potius viã ad ſpem in Deum demonſtrare. Hæc enim minus ſolicita eſt,magiſque tuta. Dominus tecum.

2. Ad eumdem.

Act.14.21. RECordare fili dicentis: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum,* nec determinantis per has aut illas, ſed enunciantis indefinitè per multas. Itaque ſuffer quæ incidunt cum gratiarum actione in ſcientia, tamquam ſuavia. Si quidem habes peccata,ſin minus, tamquam quæ te purgent à paſſionibus, aut aptent regno cælorum. Deus amator hominum & animarum, qui in-

Patientiæ ſtudium.

cre-

crepuit ventum & mare,& fecit tranquillitatem magnam,increpabit quoq; tuam tentationem fili, dabitque tibi latitudinem cordis, ut hostis nequitiam habeas exploratam. Amen.

3. Ad fratrem qui in morbum diuturnum variaque concidentia inciderat.

HOrtor te fili ut sustinens gratias agas pro iis quæ in morbo accidunt ab eo qui dicit: omnia quæ eveniunt tibi tamquam bona suscipe,ut scopus prudentiæ, ad beneplacitum ipsius consummetur in te,fili mi; virili igitur animo sis,& corroborare in Domino, ejusdemque de te dispositione. Deus sit tecum. *Omnia de manu Dei suscipienda.*

4. Ad fratré in tentatione existenté.

PAx tibi in Christo frater. Persuade cordi tuo, te omninò præbuisse occasionem tentationi, etsi nunc in præsentiarum causam non invenias: & accusa temetipsum,& sustine,& ora;& confido in visceribus misericordiæ boni Domini Christi, quòd transferet tẽtationem,cùm dicat Apostolus: *Pax autem Christi, quæ exuperat omnẽ sensum, custodiet corda vestra.* *Tentationes ex nobis ortum habent.* Philip. 4.7.

5. Ad eumdem.

SIcut umbrę corpora,sic & pręcepta sequuntur tentationes.Nemo enim, inquit

Non vivitur hic sine tentatione. quit magnus Antonius sine tentatione intrabit in regnum cælorum. Ne igitur mireris fili, si de salute tua consilium capiēs, tentationes & afflictiones invenias, sed sustine absque perturbatione, & ora, gratias agens, quòd omninò dignus habearis qui ad exercitium & probationem animæ tuæ propter præceptum tenteris. Bonus Deus largietur tibi vigilantiam atque patientiam in tempore tentationis.

6. Ad eumdem.

Deus non vult mortem peccatoris. Eccli. 33. 11 Luc. 5. 32. SVmus figmentum & opus boni ác benigni Dei, dicentis: *Vivo ego*, dicit Dominus: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.* Et iterum: *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Si igitur ita se res habet, & ita credimus, proijciamus in Dominum curam nostram, & ipse nos enutriet ac salvabit. Ipsi enim cura est de nobis. Ipse etiam fili cor tuum conconsolabitur precibus sanctorum. Amen.

7. Ad eumdem.

REctè Abbas Pastor intellexit illud: Matt. 6. 34. *Nolite solliciti esse in crastinum*, dictum esse ad hominem in tentatione constitutum. Item illud: Psal. 54. 23. *Iacta super Dominum curam tuam.*, eodem refert. Relinque igitur fili cogitationes humanas & tene spem in Deum, qui multa facit supra quam intelligimus, & spes in Deum te tranquillum facict.

faciet. Dominus adjuvet te fili per preces ſanctorum. Oportet igitur avocare noſmetipſos ab iſtiuſmodi cogitationibus, ne in craſtinæ diei vita fiduciam habeamus.

8. Ad imbecilliorem quemdam fratrem, diverſas cogitationes admittentem in eum qui ipſi neceſſaria ſubminiſtrabat.

IN nomine Jeſu Chriſti, frater mi, nihil juris habemus in proximum: debemus enim eum per amorem ſuperare ac devorare. Nemo enim dicit proximo: cur non amas me? ſed is qui facit amore digna, allicit etiam proximum in amorem. Quod autem ad neceſſitatem corporis attinet, ſi quis dignus ſit requie, etiam Saracenorũ corda flectet Dominus, ut faciant cum eo miſericordiam, juxta neceſſitatem ipſius: ſi verò non ſit dignus, aut non conducat ipſi in ſua caſtigatione conſolationem accipere, etſi novum cælum, & novam terram fecerit, nõ inveniet requiem. Quod autem dicis tibi graves accidere fratres tuos, manifeſta eſt tui ipſius juſtificatio. Nemo enim qui proximo ſalutis ſuæ cupido, præcèptum Dei adimplendi occaſionem præbet, ait ſe illam gravare. Qui enim odit ſe irritãtes, odit manſuetudinẽ; qui fugit ſe affligentes, fugit requiem quæ in Chriſto eſt. Deus benignus fili mi, protegat nos ſuâ gratiâ precibus ſanctorum omnium, Amen.

FINIS.

Ad majorem Dei gloriam.

AMICO LECTORI.

Cum præcedentia S. Dorothei Opuscula jam pridem sæpius, partim quidem olim inter Orthodoxographa Patrum Monumenta Basileæ jam inde ab anno M. D. LXIX. *partim verò jam recentius tomo primo Bibliothecæ Patrum Græcorum Parisiis anno Christi* M. DX. XXIV. *typis regijs Græco-latinè impressa extent; eorumdem textum Græcum, ne sumptus duplicarentur, in hac editione, multitudini (quæ ut illum minimè intelligit, ita nec magnoperè requirit) morem gerens, omisi. Quia tamen in prædictis editionibus Græcus Vitæ* S. DOSITHEI *textus (qui quod equidem sciam antehac nusquam in lucem prodijt) desiderabatur; hunc ne ultra requireres, è Græco codice* M. S. *Serenissimi Electoris* MAXIMILIANI *utriusq; Bavariæ Ducis, ante annos circiter viginti à me Monachij Bibliothecam ejus celeberrimam tunc lustrante αὐτόχειρ descriptum, ac deinde cum Viennensi perantiquo* M. S. *codice Cæsareo (è quo variantes in margine lectiones addidi) collatum subjunxi; quo jam publici juris facto utere, fruere. Vale.*

Ο' ΒΙΟΣ

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΔΟΣΙΘΕΟΥ

Ὁ μακάριος ὄντως ἀββᾶς Δωρόθεος τὸν μονήρη βίον σὺν θεῷ ἀσπασάμενος εἰς τὸ τοῦ ἀββᾶ Σερίδου κοινόβιον ἀνεχώρησεν, ἔνθα μεγάλους τινὰς καὶ πολλοὺς εὗρεν ἡσυχάζοντας, ἐν οἷς ἦσαν διαπρέποντες δύο μεγάλοι γέροντες, ὅ τε ἁγιώτατος Βαρσανούφιος, καὶ ὁ αὐτοῦ μαθητὴς ἤτοι συνασκητὴς ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης, ὁ ἐπικληθεὶς προφήτης διὰ τὸ * διορατικώτατον χάρισμα ὃ *διορατικὸν εἶχε παρὰ τοῦ θεοῦ· οἷς μετὰ πάσης πληροφορίας ἑαυτὸν παραδεδωκὼς, τῷ μὲν μεγάλῳ γέροντι διὰ τοῦ ἐν ἁγίοις ἀββᾶ Σερίδου διελέγετο· τῷ δὲ ἀββᾷ Ἰωάννῃ τῷ προφήτῃ καὶ ὑπηρετῆσαι κατηξιώθη.

Ἔτι ὄντος τοῦ μακαρίου ἀββᾶ Δωροθέου ἐν τῷ κοινοβίῳ τοῦ ἀββᾶ Σερίδου καὶ τὸν ἀγῶνα τῆς κατὰ χριστὸν ὑποταγῆς ἐξανύοντος, συνεῖδον οἱ ἅγιοι γέροντες ποιῆσαι αὐτὸν ἐκεῖσε νοσοκομεῖον, καὶ φροντίζειν αὐτοῦ, πάνυ γὰρ ἐκοπίων οἱ ἀδελφοὶ, ὅτε ἠρρώστουν μὴ ἔχοντες τὸν ἐπιμελούμενον αὐτῶν· ἐποίησεν οὖν συνεργίᾳ τοῦ θεοῦ τὸ νοσοκομεῖον ἰδίου ἀδελφοῦ τοῦ κατὰ σάρκα χορηγοῦντος αὐτῷ τὰς δαπάνας. ἦν γὰρ πάνυ φιλόχριστος καὶ φιλομόναχος ὁ ἀνὴρ, καὶ ἦν αὐτὸς ὡς εἶπον ὁ ἀββᾶς Δωρόθεος μετὰ καὶ ἄλλων τινῶν εὐλαβῶν ἀδελφῶν θεραπεύων τοὺς ἀρρώστους, αὐτὸς δὲ εἶχε τὴν φροντίδα τῆς τοιαύτης διοικήσεως.

Ἐν μιᾷ οὖν τῶν ἡμερῶν μεταστέλλεται αὐτῶν ὁ ἡγούμενος ὁ ἀββᾶς Σερίδης, καὶ ἐλθὼν εὑρίσκει παρ' αὐτῷ τινα νεώτερον στρατιωτικὸν φοροῦντα τρυφερώτατον πάνυ καὶ εὐειδέστατον· οὗτος δὲ ἦν

ἐλθὼν τότε εἰς τὸ μοναστήριον μετά τινων ἀγαπητῶν τοῦ ἀββᾶ ἀνθρώπων τοῦ δουκός. ὡς οὖν ἦλθεν ὁ ἀββᾶς Δωρόθεος λαμβάνει αὐτὸν κατ' ἰδίαν αὐτὸς ὁ ἀββᾶς, καὶ λέγει αὐτῷ, οὗτοι οἱ ἄνθρωποι ἤνεγκαν τὸν νεώτερον τοῦτον λέγοντες ὅτι θέλει μεῖναι ὧδε εἰς τὸ μοναστήριον, καὶ φοβοῦμαι μήποτε οὗτός τινος ἐστι τῶν μεγάλων τούτων καὶ ἢ ἔκλεψεν, ἢ ἐποίησέ ποτε καὶ θέλει φυγεῖν καὶ εὑρεθῶμεν εἰς πειρασμόν, οὔτε γὰρ τὸ σχῆμα αὐτοῦ οὔτε ἡ ἰδέα ἐστὶ θέλοντος μονάσαι. ἦν δὲ οὗτος δηλίκιόν τινος στρατηλάτου διάγων ἐν πολλῇ τρυφῇ (ἀεὶ γὰρ ἐν πολλῇ βλακείᾳ εἰσὶ τὰ δηλίκια τῶν τοιούτων) οὐδέποτε ἦν ἀκούσας λόγον θεοῦ. τινὲς δὲ ἄνθρωποι τοῦ στρατηλάτου διηγήσαντο ἐπὶ αὐτοῦ περὶ τῆς ἁγίας πόλεως, καὶ ἐπεθύμησεν ἰδεῖν τὰ ἐκεῖ. ἤτησεν οὖν τὸν στρατηλάτην πέμψαι αὐτὸν ἱστορῆσαι τοὺς ἁγίους τόπους. ὁ δὲ μὴ θέλων λυπῆσαι αὐτόν, εὗρέ τινα φίλον αὐτοῦ γνήσιον ἀπερχόμενον ἐπὶ τὰ ἐκεῖσε, καὶ λέγει αὐτῷ, χάρισαί μοι καὶ λάβε τὸν νεώτερον τοῦτον μετὰ σοῦ ἵνα ἱστορήσῃ τοὺς ἁγίους τόπους. ὁ δέ, ὡς παρὰ στρατηλάτου δεξάμενος τὸν παῖδα εἶχεν ἐν πάσῃ τιμῇ καὶ ἀναπαύσει συνεσθίοντα αὐτῷ, καὶ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ.

Ὡς οὖν ἦλθον εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν καὶ προσεκύνουν τοὺς ἁγίους τόπους, ἦλθον εἰς Γεθσημανί. ἦν δὲ ἐκεῖ ἱστορία τῆς κολάσεως. ὡς οὖν ἵστατο προσέχων ὁ νεώτερος καὶ ἐκπληττόμενος, ὁρᾷ γυναῖκα σεμνὴν φοροῦσαν πορφυρᾶ ἱμάτια ἱσταμένην πλησίον αὐτοῦ, καὶ ὑποδεικνύουσαν αὐτῷ ἕκαστον τῶν κρινομένων, καὶ ἄλλα δέ τινα ὡς ἀφ' ἑαυτῆς ἐνουθέτει αὐτόν (δόξα σοι Χριστὲ ὁ πάντα ποιῶν, ὁ διὰ τὴν σωτηρίαν τῶν ἀνθρώπων.) ὁ δὲ παῖς ἀκούων παρ' αὐτῆς, ἀπηνεοῦτο, καὶ ἐθαύμασε. καθὼς γὰρ εἶπον, οὐδέποτε ἦν ἀκούσας λόγον θεοῦ, ἢ ὅτι ἔστι

κρίσις

κολάσις, λέγει οὖν αὐτῇ. κυρία τί ποιήσω ἵνα ἐξελεύσῃ τῆς κολάσεων τούτων. ἡ δὲ ἀποκριθεῖσα εἶπεν αὐτῷ. νήστευε καὶ μὴ τρῶγε κρέα, καὶ εὔχου συνεχῶς, καὶ ἐξελεύσῃ τῶν κολάσεων τούτων.

Μετὰ δὲ τὸ δοῦναι αὐτῷ τὰς τρεῖς ἐντολὰς, ταύτας οὐκέτι ἐφάνη αὐτῷ, ἀλλ' ἐγένετο ἀφανὴς, ἐκ τότε οὖν ἔμεινεν ὁ παῖς κατανενυγμένος καὶ φυλάσσων τὰς τρεῖς ἐντολὰς ἃς ἔδωκεν αὐτῷ. ὁ δὲ φίλος τοῦ στρατηλάτου βλέπων αὐτὸν νηστεύοντα, καὶ μὴ τρώγοντα κρέα, ἐθλίβετο διὰ τὸν στρατηλάτην ἤδη γὰρ ὅτι εἶχεν αὐτὸν ὡς μέγα τί ποτε. Οἱ δὲ μετ' αὐτοῦ στρατιῶται βλέποντες αὐτὸν ἐν τοιαύτῃ διαγωγῇ, λέγουσιν αὐτῷ, τέκνον ταῦτα ἃ ποιεῖς οὐκ εἰσί τινος θέλοντος εἶναι εἰς τὸν κόσμον. Εἰ δὲ οὕτως θέλεις, ὕπαγε εἰς τὸ μοναστήριον καὶ σώσεις τὴν ψυχήν σου. ὁ δὲ, οὐδὲ τί ποτε κατὰ θεὸν ἤδει, οὐδὲ τί ἐστι μοναστήριον, μόνον δὲ ἐφύλαττεν ἃ ἤκουσε παρ' ἐκείνης.

Λέγει οὖν αὐτοῖς ἐκεῖνος. Ὅπου οἴδατε λάβετέ με. ἐγὼ γὰρ οὐκ οἶδα ποῦ ποτε ἀπελθεῖν. Τινὲς δὲ αὐτοῦ ὡς εἶπον, ἦσαν ἀγαπητοὶ τοῦ ἀββᾶ Σερίδου. καὶ ἦλθον εἰς τὸ μοναστήριον φέροντες τὸν παῖδα μεθ' ἑαυτῶν. ὡς οὖν ἔπεμψεν ὁ ἀββᾶς τὸν μακάριον Δωρόθεον λαλῆσαι αὐτῷ, διερευνάζετο αὐτὸν, καὶ οὐδὲν ἄλλο ἤδει εἰπεῖν εἰ μὴ μόνον σωθῆναι θέλω. ἔρχεται οὖν καὶ λέγει τῷ ἀββᾷ. ἐὰν ὅλως συνορᾷς δέξασθαι αὐτὸν, μηδὲν φοβηθῇς, οὐδὲν γὰρ φαῦλον ἔχει. Λέγει αὐτῷ ὁ ἀββᾶς οὐκοῦν ποίησον ἀγάπην, καὶ λαβὲ αὐτὸν παρὰ σοί ἵνα σωθῇ. οὐ θέλω γὰρ αὐτὸν εἶναι μεταξὺ τῶν ἀδελφῶν. ὁ δὲ ἀπὸ εὐλαβείας ἔμεινε παραιτούμενος καὶ λέγων, ὅτι ὑπὲρ τὴν κατάστασίν μου ἐστὶ τὸ ἀναδέξασθαι βάρος τινὸς καὶ οὐκ ἔστι τῶν μέτρων μου. Λέγει αὐτῷ ὁ ἀββᾶς· ἐγὼ τὸ βάρος σου καὶ αὐτοῦ βαστάζω, σὺ διὰ τί θλίβῃ; τότε λέγει αὐτῷ ὁ μακάριος Δωρόθεος οὐκοῦν ἐπεὶ τοῦ-

τοῦτο πάντως ἔκρινας, ἐὰν συνορᾶς, ἀνάθου τῷ γέροντι, καὶ λέγει αὐτῷ καλῶς ἐγὼ λέξω αὐτῷ. ἀπέρχεται οὖν καὶ λέγει τῷ γέροντι: καὶ δηλοῖ αὐτῷ ὁ γέρων, οὕτως δέξαι αὐτὸν, διὰ τοῦτο γὰρ ὁ θεὸς σῶσαι αὐτὸν ἔχει. ὅτε ἐδέξατο αὐτὸν μετὰ χαρᾶς, καὶ εἶχεν αὐτὸν μετὰ ἑαυτοῦ ἐν τῷ νοσοκομείῳ, ἔλεγε δὲ τὸ ὄνομα αὐτοῦ Δοσίθεος.

Ὅτε δὲ ἦλθεν ὁ καιρὸς τοῦ φαγεῖν, λέγει αὐτῷ, φάγε ἵνα χορτασθῇς. μόνον μάθε με πόσον τρώγεις, καὶ ἀπελθὼν ἔφαγε καὶ ἦλθε λέγων αὐτῷ, ἔφαγον ἕνα ἥμισυ ἄρτον. εἶχε δὲ ὁ ἄρτος τέσσαρας λίτρας, καὶ λέγει αὐτῷ. καλῶς ἔχεις Δοσίθεε; ἀποκρίνεται ἐκεῖνος ναὶ κύριε καλῶς ἔχω. λέγει αὐτῷ. μὴ πεινᾷς; οὐχὶ δέσποτα, οὐ πεινῶ. οὐκοῦν τρῶγε τὸν ἕνα ἄρτον, καὶ τὸ τέταρτον τοῦ ἄλλου ἄρτου, καὶ ποίησον τὸ ἄλλο τέταρτον εἰς δύο, καὶ φάγε τὸ ἥμισυ, καὶ ἐποίησεν οὕτως.

Πάλιν λέγει, αὐτῷ, πεινᾷς Δοσίθεε; καὶ ἀποκρίνεται, ναὶ κύριε πεινῶ μικρόν; μετὰ ὀλίγας ἡμέρας πάλιν λέγει αὐτῷ, πῶς ἔχεις Δοσίθεε, ἔμεινας πεινῶν; οὐχὶ κύριε, διὰ τῶν εὐχῶν σου καλῶς ἔχω. Λέγει αὐτῷ οὐκοῦν ἔπαρον τὸ ἄλλο ἥμισυ τοῦ τετάρτου, καὶ ἐποίησεν οὕτως; πάλιν μετὰ ὀλίγας ἡμέρας λέγει αὐτῷ. Πῶς εἶ ἄρτι, μὴ πεινᾷς; ἀποκρίνεται, καλῶς εἰμὶ κύριε: λέγει αὐτῷ ποίησον τὸ ἄλλο τέταρτον εἰς δύο, καὶ φάγε τὸ ἥμισυ, καὶ ἄφες τὸ ἥμισυ, καὶ ἐποίησεν ὁμοίως, καὶ οὕτως τοῦ θεοῦ συνεργοῦντος κατὰ μικρὸν ἀπὸ λιτρῶν ἓξ κατέστη εἰς ὀκτὼ οὐγγίας, καὶ γὰρ συνήθεια ἐστὶ καὶ ἐν τῷ φαγεῖν.

Ἦν δὲ αὐτὸς ὁ νεώτερος ἐπιτήδειος εἰς πᾶν ἔργον ὃ ἐποίει. ὑπηρέτει δὲ τοῖς ἀῤῥώστοις ἐν τῷ νοσοκομείῳ καὶ ἕκαστος ἐπανεπαύετο ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ αὐτοῦ. Πάντα γὰρ καθαρείως ἐποίει, εἰ συνέβη δὲ αὐτὸν ὀλιγωρῆσαι πρὸς ἕνα τῶν ἀῤῥώστων καὶ εἰπεῖν ῥῆ-

μα

κακὰ μετὰ ὀργῆς, ἔφιε πάντα καὶ εἰσήρχετο εἰς τὸ κελλάριον κλαίων. ὡς οὖν εἰσήρχοντο οἱ ἄλλοι ὑπηρέται τοῦ νοσοκομείου παραμυθήσασθαι αὐτὸν, καὶ οὐ παρεκαλεῖτο, ἤρχοντο καὶ ἔλεγον τῷ Δωροθέῳ. ποίησον ἀγάπην κύριε μάθε τί ἔχει οὗτος ὁ ἀδελφὸς ὅτι κλαίει, καὶ οὐκ οἴδαμεν διὰ τί. καὶ εἰσήρχετο, καὶ εὕρισκεν αὐτὸν χαμαὶ καθήμενον καὶ κλαίοντα, καὶ ἔλεγεν αὐτῷ τί ἐνι Δοσίθεε, τί ἔχεις; τί κλαίεις; καὶ ἔλεγε, συγχώρησόν κύριε, ὅτι ὠργίσθην καὶ ἐλάλησα κακῶς τῷ ἀδελφῷ μου. καὶ ἔλεγεν αὐτῷ· ναὶ Δοσίθεε ἐπεὶ ὀργίζῃ καὶ καὶ οὐκ αἰσχύνῃ ὀργιζόμενος καὶ λαλῶν κακῶς τῷ ἀδελφῷ σου; οὐκ οἶδας ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ χριστὸς, καὶ θλίβεις τὸν χριστόν; καὶ ἔβαλε κάτω τὴν ὄψιν κλαίων, καὶ μηδὲν λέγων. ὡς δὲ ἔβλεπεν ὅτι ἔκλαυσεν ἱκανῶς, ἔλεγεν αὐτῷ συγχωρήσαι σε, ὁ θεὸς, ἔγειραι ἀπὸ τοῦ νῦν βάλωμεν ἀρχὴν, σπουδάσωμεν τοῦ λοιποῦ, καὶ ὁ θεὸς βοηθεῖ. εὐθέως δὲ ὡς ἤκουεν, ἠγείρετο τρέχων μετὰ χαρᾶς εἰς τὴν ὑπηρεσίαν ὡς ὄντι παρὰ θεοῦ ἐδέξατο τὴν συγχώρησιν.

Ἔμαθον οὖν οἱ τοῦ νοσοκομείου τὸ ἔθος αὐτοῦ, καὶ ὅτε ἔβλεπον αὐτὸν κλαίοντα, ἔλεγον τί ποτε ἔχει Δοσίθεος; τί ποτε ἐσφάλη; καὶ ἔλεγον τῷ μακαρίῳ Δωροθέῳ, κύριε εἴσελθε εἰς τὸ κελλάριον, ὅτι ἔχεις ἐκεῖ ἔργον. ὡς οὖν εἰσήρχετο καὶ εὕρισκεν αὐτὸν χαμαὶ καθήμενον καὶ κλαίοντα, ἐνόει ὅτι κακῶς ἐλάλησε ῥῆμα. καὶ ἔλεγεν αὐτῷ. τί ἐνι Δοσίθεε, πάλιν τὸν χριστὸν ἔθλιψας; πάλιν ὠργίσθης, οὐκ αἰσχύνῃ; οὐ διορθοῖ λοιπόν; καὶ ἔμενεν ἐκεῖνος κλαίων. πάλιν ὡς ἔβλεπεν ὅτι ἐχορτάσθη κλαίων, ἔλεγεν ἔγειραι, ὁ θεὸς συγχωρήσαι σοι, πάλιν βάλε ἀρχὴν, διόρθωσαι λοιπόν. Ὁ δὲ εὐθέως μετὰ πίστεως ἀπετίνασσε τὴν λύπην ἐκείνην καὶ ἀπήρχετο εἰς τὸ ἔργον αὐτοῦ.

Ἔστρωννυε δὲ τοῖς ἀῤῥώστοις πάνυ καλῶς. τοιοῦτος δὲ ἦν περὶ τὸν λογισμὸν ἐλεύθερος καὶ ἐξαγγελτικὸς, ὅτι πολλάκις ἐν ὅσῳ ἐφιλοκάλει στρῶσαι εἶδε τὸν μακάριον παρερχόμενον, καὶ λέγει αὐτῷ. κύριε, κύριε, λέγει μοι, ὁ λογισμὸς, καλῶς στρωννύεις. καὶ ἀπεκρίνατο ἐκεῖνος, βαβαὶ κύριε ἰδοὺ εἶ καλὸς

*βρεγκάριος. * βρεγλάριος μὴ γὰρ καλὸς μόναχος.

Οὐδέποτε δὲ εἴασεν αὐτὸν προσπαθῆσαι πράγματι, ἢ οἵᾳ δήποτε ὕλῃ. πάντα γὰρ ἐδέχετο μετὰ χαρᾶς, καὶ μετὰ πίστεως, καὶ εἰς πάντα προθύμως ὑπήκουσεν, ὅτε δὲ ἔχρησεν ἱματίου, παρεῖχεν αὐτῷ, καὶ ἀπερχόμενος ἔῤῥαπτεν αὐτὸ μετὰ πολλῆς ἐπιεικίας, καὶ φιλοκαλίας, καὶ μεθ' ὃ ἐποίει αὐτὸ ἐκάλει αὐτὸν, καὶ ἔλεγεν αὐτῷ. Δοσίθεε ἔῤῥαψας ἐκεῖνο τὸ ἱμάτιον; καὶ ἔλεγεν ναὶ κύριε, καὶ ἐφιλοκάλησα αὐτὸ καλῶς, καὶ ἔλεγεν ὕπαγε, δὸς αὐτὸ τῷδε τῷ ἀδελφῷ, ἢ τῷδε τῷ ἀσθενοῦντι. καὶ ἀπήρχετο, καὶ ἐδίδου αὐτὸ μετὰ προθυμίας. καὶ πάλιν παρεῖχεν αὐτῷ ἄλλο, καὶ ὁμοίως μετὰ τὸ ῥάψαι, καὶ φιλοκαλῆσαι. ἔλεγεν αὐτῷ, δὸς αὐτὸ τῷδε τῷ ἀδελφῷ, καὶ εὐθέως παρεῖχε, καὶ οὐδέποτε ἐθλίβη οὐδὲ ἐγόγγυσε λέγων, ὅτι μετὰ κόπου ῥάπτων καὶ φιλοκαλῶν λαμβάνει ἀπ' ἐμοῦ καὶ ἄλλῳ αὐτὸ παρέχει. ἀλλὰ πᾶν ἀγαθὸν ὃ ἤκουσε, μετὰ προθυμίας ἐποίει.

Ἄλλοτε ποτὲ ἤνεγκέ τις τῶν ἀποκρισιαρίων ἓν μαχαίριον καλὸν πάνυ καὶ εὔμορφον, ὁ δὲ λαβὼν αὐτὸ ἤνεγκε τῷ ἀββᾷ Δωροθέῳ λέγων, ὁ δεῖνα ὁ ἀδελφὸς ἤνεγκε τὸ μαχαίριον τοῦτο, καὶ ἔλαβον αὐτὸ, ἵνα ἐὰν κελεύῃς ἔχωμεν αὐτὸ εἰς τὸ νοσοκομεῖον, ὅτι καλῶς κόπτει τὰς κλύστας. οὐδέποτε δὲ ἐκτήσατο ὁ μακάριος ἐκεῖνος ὕλην εὔμορφον εἰς τὸ νοσοκομεῖον πλεῖον τοῦ καλῶς ἔχοντος. λέγει

*ἴδω αὐτὸ οὖν αὐτῷ φέρε * ἴδωμεν εἰ ἔστι καλόν. ὁ δὲ ἐπέδωκεν αὐτῷ λέγων ναὶ κύριε καλόν ἐστιν εἰς τὰς κλύστας

ἔβλε-

ἔβλεπε δὲ αὐτὸ κατ' ἀλήθειαν ὅτι καλὸν ἦν εἰς τὸ πρᾶγμα, ἀλλ' ἐπειδὴ οὐκ ἤθελεν αὐτὸν ἔχειν προσπάθειαν εἰς οἵαν δήποτε ὕλην, οὐκ ἠθέλησεν ἵνα κρατήσῃ αὐτό. Λέγει οὖν αὐτῷ. Δοσίθεε οὕτως ἀρέσκει σοι; θέλεις εἶναι δοῦλος τοῦ μαχαιρίου τούτου. καὶ οὐ δοῦλος τοῦ θεοῦ; καὶ ναὶ Δοσίθεε ἀρέσκει σοι ἵνα * δέδεσαι τῇ προσπαθείᾳ τοῦ μαχαιρίου τούτου, καὶ οὐκ αἰσχύνῃ ὅτι θέλεις ἵνα τὸ μαχαίριον τοῦτο κυριεύσῃ σου, καὶ μὴ ὁ θεός; ὁ δὲ ἀκούων, οὐκ ἀνένευεν, ἀλλ' ἔβαλε κάτω τὴν ὄψιν σιωπῶν. ὕστερον μεθ' ὃ ἔμμενεν ἐγκαλῶν αὐτῷ, λέγει αὐτῷ. ὕπαγε θὲς αὐτὸ, καὶ μὴ ἅψῃ αὐτοῦ, καὶ τοσοῦτον ἐφύλαξε τὸ μὴ ἅψασθαι αὐτοῦ, ὡς μηδενὶ ἐπιδοῦναι αὐτό ποτε, ἀλλὰ τῶν ἄλλων ὑπηρετῶν κεχρημένων αὐτῷ, αὐτὸς μόνος οὐκ ἤγγιζεν αὐτῷ, καὶ οὐδέποτε εἶπεν ὅτι τί εἰμι ἐγὼ ἁπλῶς ἀπὸ πάντων, ἀλλὰ πάντα ὅσα ἤκουε μετὰ χαρᾶς ἐποίει.

* δέχεσθαι

Οὕτως οὖν διετέλεσε τὸν μικρὸν χρόνον ὃν ἐποίησεν εἰς τὸ μοναστήριον. ἐποίησε γὰρ ὡς πέντε ἔτη, καὶ οὕτως ἐτελεύτησεν ἐν ὑπακοῇ μὴ ποιήσας μηδὲ ἓν θέλημα αὐτοῦ ἔν τινι πράγματι, μηδὲ κατὰ προσπάθειαν ποιήσας τί ποτε. ὅτε δὲ ἠσθένησε, καὶ αἱμοπτύησε, φθισικὸς γὰρ ἀπέθανεν, ἤκουσεν παρά τινος ὅτι τὰ ὠὰ τὰ ὀπτὰ ῥόφητα ὠφελοῦσι τοὺς αἱμοπτοϊκούς. ἤδει δὲ τοῦτο καὶ ὁ μακάριος Δωρόθεος καὶ ἡδέως εἶχε τὴν θεραπείαν αὐτοῦ, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ περισπασμοῦ οὐκ ἦλθεν εἰς τὸν νοῦν αὐτοῦ. Λέγει οὖν αὐτῷ ἐκεῖνος. κύριε θέλω εἰπεῖν σοι ὅτι ἤκουσα περὶ πράγματός τινος ὠφελοῦντός με, ἀλλ' οὐ θέλω ἵνα δώσῃς μοι ἀπ' αὐτοῦ, ἐπειδὴ ὀχλεῖ ὁ λογισμός μου. Λέγει αὐτῷ εἰπέ μοι τί ἐστι Δοσίθεε, εἰπέ μοι τί ἐστι τὸ πρᾶγμα.. καὶ λέγει δός μοι λόγον ὅτι οὐ παρέχεις μοι ἐπειδὴ ὡς εἶπον ὀχλεῖ περὶ αὐτοῦ ὁ λογισμός μου; Λέγει αὐτῷ, καλῶς ὡς θέλεις

ποιῶ.

ποιῶ. τότε λέγει, ἤκουσα παρά τινων ὅτι τὰ ὠὰ τὰ ἀπορρόφητα ὠφελοῦσι τοὺς αἱμοπτοϊκούς, ἀλλὰ διὰ τὸν κύριον ἐὰν κελεύῃς ἐξότου οὐκ ἔφθασας ἀφ' ἑαυτοῦ δοῦναί μοι, μὴ δώσῃς μοι διὰ τὸν λογισμόν μου. Λέγει αὐτῷ καλῶς, ἀφ' οὗ οὐ θέλεις, οὐ παρέχω σοι, μόνον μὴ θλιβῇς· ἐσπούδαζε δὲ διδόναι αὐτῷ ἄλλα πράγματα ἀντὶ τῶν ὠῶν ὠφελοῦντα αὐτόν. ἐπειδὴ δὲ ἦν εἰπὼν ὅτι ὀχλεῖ με ὁ λογισμὸς περὶ τῶν ὠῶν, ἰδοὺ καὶ ἐν τοιαύτῃ ἀῤῥωστίᾳ ἠγωνίζετο κατὰ τοῦ ἰδίου θελήματος.

Εἶχε δὲ ἀεὶ καὶ μνήμην θεοῦ. ἦν γὰρ παραδοὺς αὐτῷ τὸ ἀεὶ λέγειν κύριε Ἰησοῦ χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν ἐλέησόν με, ἢ ἐπὶ τοῦ θεοῦ βοήθησόν μοι. εἶχεν οὖν πάντοτε ταύτην τὴν εὐχήν. ὅτε δὲ ἠσθένησε, λέγει αὐτῷ. Δοσίθεε φρόντισον τῆς εὐχῆς. βλέπε μὴ ἀπολέσῃς αὐτήν. ὁ δὲ ἀποκρίνεται. καλῶς κύριε, εὔχου ὑπὲρ ἐμοῦ. Πάλιν ὡς ἐβαρήθη μικρόν, λέγει αὐτῷ. Τί ἔνι Δοσίθεε πῶς ἡ εὐχή; ἵσταται ἀκμήν, καὶ λέγει ναὶ κύριε διὰ τῶν εὐχῶν σου. ὅτε δὲ πλεῖον ἐβαρήθη, εἰς τοιαύτην γὰρ ἀσθένειαν ἦλθεν ὥστε ἐν σινδόνι βαστάζεσθαι. Λέγει αὐτῷ πῶς ἡ εὐχὴ Δοσίθεε; τότε λέγει συγχώρησον κύριε οὐκέτι ἰσχύω κρατῆσαι αὐτήν. Λέγει αὐτῷ οὐκοῦν ἄφες τὴν εὐχήν, μόνον δὲ μνημόνευε τοῦ θεοῦ, καὶ κατανόει αὐτὸν ὡς ὄντα ἐνώπιόν σου. Ἐκοπία δὲ πάνυ καὶ δηλοῖ τῷ μεγάλῳ γέροντι, ἀπόλυσόν με, ὅτι οὐκέτι δύναμαι. δηλοῖ δὲ αὐτῷ ὁ γέρων, ὑπόμεινον τέκνον, ἐγγὺς γὰρ τὸ ἔλεος τοῦ θεοῦ. Ὁ δὲ μακάριος Δωρόθεος ἔβλεπεν αὐτὸν κάμνοντα, καὶ ἐμερίμνα μήπως βλαβῇ. Πάλιν μεθ' ἡμέρας δηλοῖ τῷ γέροντι. Δέσποτα οὐκέτι ἰσχύω. τότε δηλοῖ αὐτῷ ὁ γέρων. ὕπαγε ἐν εἰρήνῃ. Παράστηθι τῇ ἁγίᾳ τριάδι καὶ πρέσβευε ὑπὲρ ἡμῶν.

Ἀκούσαντες δὲ οἱ ἀδελφοὶ τὴν ἀπόλυσιν τοῦ γέροντος, ἤρξαντο ἀγανακτεῖν καὶ λέγειν. Τί ἐποίησεν ἁπλῶς ἢ τί ἦν τὸ ἔργον αὐτοῦ ὅτι ταῦτα ἤκουσε

κατ' ἀλήθειαν γὰρ οὐκ ἔβλεπον αὐτὸν εἰς δύο νηστεύοντα, ὡς ἐποίουν ἐκεῖ τινες, ἢ ἀγρυπνοῦντα ἀπὸ τῆς ἀγρυπνίας. ἀλλ' οὐδὲ εἰς αὐτὴν ἀγρυπνίαν ἠγείρετο εἰ μὴ μετὰ δύο ἀκολουθίας. οὐδὲ ἔβλεπον αὐτὸν ποιοῦντα μίαν ἄσκησιν, ἀλλ' ἔβλεπον αὐτὸν τρώγοντα μικρὸν εἰ τύχῃ ζωμὸν ἐκ τῶν ἀρρώστων καὶ εἰ παρεισοῦσε μία κεφαλὴ ὀψαρίου, ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον. ἦσαν δὲ ἐκεῖ τινες ὡς εἶπον τοσοῦτον χρόνον εἰς δύο νηστεύοντες, καὶ διπλᾶς ἀγρυπνίας ποιοῦντες καὶ ἀσκοῦντες.

Ὡς οὖν ἤκουσαν τοιαύτην ἀπόκρισιν μεμφθεῖσαν παρὰ τοῦ γέροντος νεωτέρῳ τινὶ πέντε ἔτη ἔχοντι εἰς τὸ μοναστήριον, ἐγογγύζοντο ἀγνοοῦντες τὴν* ἐνέργειαν αὐτοῦ, καὶ τὴν κατὰ πάντα τὴν ἀδιάκριτον αὐτοῦ ὑπακοήν, καὶ ὅτι οὐδέποτε ἐποίησεν ἓν θέλημα ἑαυτοῦ. εἰ ἔτυχε ποτὲ τὸν μακάριον Δωρόθεον εἰπεῖν αὐτῷ ῥῆμα ὡς διασύρων αὐτὸν, ἀπήρχετο τρέχων καὶ ἐποίει αὐτὸ ἀδιακρίτως εἴ τι λέγω. οὗτος παρὰ τὰς ἀρχὰς ὡς ἀπὸ συνηθείας ἐλάλει τραχυτέρως. Ὁ οὖν μακάριος ὡς διασύρων αὐτὸν ἐν μιᾷ λέγει αὐτῷ βουκκακράτου χρήζεις Δοσιθέε. Λέγει καλῶς ὕπαγε λάβε βουκκάκρατον. ἐκεῖνος ἀκούσας ἀπέρχεται ἀπονήρως, καὶ φέρει φιάλην ἔχουσαν οἶνον καὶ ἄρτον, καὶ ἐπιδίδωσιν αὐτῷ ὡς ἵνα λάβῃ εὐλογίαν. Ὁ δὲ ἀγνοήσας προσέσχεν αὐτῷ ὡς ξενιζόμενος καὶ λέγει τί θέλεις; ἀποκρίνεται, ἐπειδὴ ἐκέλευσάς μοι λαβεῖν βουκκάκρατον δός μοι εὐλογίαν. τότε λέγει αὐτῷ μωρὲ ἐπειδὴ κράζεις ὥσπερ καὶ οἱ Γότθοι. καὶ γὰρ ἐκεῖνοι ὅταν ἐγχολῶνται κράζουσι, καὶ χωλῶνται διὰ τοῦτο εἶπόν σοι Λάβε βουκκάκρατον· ὅτι καὶ σὺ ὡς Γότθος κράζεις. ἐκεῖνος ὡς ἤκουσε, βάλλει μετάνοιαν καὶ ἀπέρχεται, καὶ τίθησιν αὐτό.

Ἄλλοτε δὲ πάλιν ἔρχεται ἐρωτῶν αὐτὸν ῥῆμα τῆς ἁγίας γραφῆς· ἤρξατο γὰρ ἀπὸ καθαρότητος νοεῖν τινα τῆς γραφῆς. Ὁ δὲ οὐκ ἤθελεν αὐτὸν πρὸς ταύτῃ ἐπιβάλλειν, ἀλλὰ μᾶλλον διὰ τῆς ταπεινώσεως

*ἐργασίαν.

φυλαχθῆναι. Ὅτε οὖν ἠρώτησεν αὐτόν, λέγει αὐτῷ, οὐκ οἶδα. Ἐκεῖνος δὲ μηδὲν νοήσας πάλιν ἔρχεται καὶ ἐρωτᾷ αὐτὸν ἄλλο κεφάλαιον. Τότε λέγει αὐτῷ οὐκ οἶδα, ἀλλ' ἄπελθε, ἐρώτησον τὸν ἀββᾶν. ὁ δὲ ἀπῆλθε μηδὲν διακρίνας. Ἦν δὲ ὁ μακάριος Δωρόθεος προειπὼν τῷ ἀββᾷ ἐκτὸς αὐτοῦ. ἐὰν ἔλθῃ Δοσίθεος πρὸς σὲ ἐρωτῆσαί σε περί ποτε γραφικόν, τύψον αὐτὸν μικρόν. Ὡς οὖν ἀπῆλθε καὶ ἠρώτησεν αὐτόν, ἤρξατο τύπτειν αὐτὸν καὶ λέγειν. οὐχ ἡσυχάζεις μηδὲν εἰδώς; σὺ τοιαῦτα τολμᾷς ἐρωτᾶν; οὐ μεριμνᾷς τὴν ἀκαθαρσίαν σου; καὶ ἄλλα τινὰ τοιαῦτα εἰπὼν, ἀπέλυσε δεδωκὼς αὐτῷ καὶ δύο κόσσους. Ὁ δὲ ὑποστρέφει πρὸς τὸν Δωρόθεον δεικνύων αὐτῷ τὰς παρειὰς αὐτοῦ πυῤῥὰς ἐκ τῶν κόσσων, καὶ λέγων, ἔχω καὶ στερεὰς, καὶ οὐκ εἶπε διατί σὺ οὐ διωρθώσω, ἀλλ' ἔπεμψάς με πρὸς τὸν ἀββᾶν; οὐδὲν εἶπε τοιοῦτον. Ἀλλὰ πάντα ἐδέχετο παρ' αὐτοῦ μετὰ πίστεως, καὶ ἐποίει ἀδιακρίτως. Ὅτε δὲ ἠρώτα αὐτὸν λογισμὸν μετὰ τοιαύτης πληροφορίας ἐδέχετο ἃ ἤκουε, καὶ οὕτως ἐφύλαττεν, ὡς μηκέτι δευτερῶσαι αὐτῷ περὶ τοῦ αὐτοῦ λογισμοῦ. Ταύτην οὖν ἀγνοοῦντες ὡς εἶπον τὴν θαυμαστὴν αὐτοῦ ἐργασίαν, ἐγόγγυζόν τινες ἐπὶ τῇ ἀπολύσει τοῦ γέροντος.

Ὅτε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς φανερῶσαι τὴν ἑτοιμασθεῖσαν αὐτῷ δόξαν ἐκ τῆς ἁγίας ἐκείνης ὑπακοῆς, καὶ τὸ χάρισμα ὃ εἶχεν ὁ μακάριος Δωρόθεος καὶ ἔτι μαθητὴς ὢν περὶ τὸ σώζειν ψυχὰς ὁ οὕτως ἀπλανῶς αὐτὸν καὶ συντόμως ἀξιωθεὶς ὁδηγῆσαι πρὸς τὸν Θεόν. Τότε μετ' οὐ πολὺν χρόνον τῆς μακαρίας αὐτοῦ τελευτῆς ἐπεθύμησέ τις τῶν ἁγίων μέγας γέρων ἐκεῖσε παραλαβὼν ξένος, ἰδεῖν τοὺς ἐν τῷ κοινοβίῳ προκοιμηθέντας πατέρας ἁγίους, καὶ ᾔτησε τὸν Θεὸν περὶ τοῦ ἀποκαλύψαι αὐτῷ. καὶ ὁρᾷ αὐτοὺς πάντας ὁμοῦ ὡς ἐν χορῷ ἱσταμένους, καὶ μεταξὺ αὐτῶν νεώ-

νεώτερόν τινα ἑστῶτα καὶ ἐθαύμαζε καὶ ἔλεγεν. ἆρα τίς ἐστιν ὁ νεώτερος ὃν εἶδον μετὰ τῶν πατέρων; καὶ ὡς διέγραψε τὰ σημεῖα τοῦ χαρακτῆρος αὐτοῦ, ἔγνωσαν πάντες ὅτι Δοσίθεός ἐστι, καὶ ἐδόξασαν τὸν θεὸν θαυμάζοντες ἀπὸ ποίου βίου καὶ ἀπὸ ποίας πρώτης ἀγωγῆς, εἰς ποῖα μέτρα κατηξιώθη φθάσαι, καὶ ἐν ὀλίγῳ οὕτως χρόνῳ διακρατῆσαι αὐτὸν τὴν ἀδιάκριτον ὑπακοὴν, καὶ κόψαι τὸ ἴδιον θέλημα.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS PROVINCIÆ FLANDRO-BELGICÆ.

CVm Asceticæ Institutiones S. DOROTHEI novâ interpretatione & notis BALTHASARIS CORDERI Societatis nostræ Theologi illustratæ, à Censoribus qui eas legerunt approbentur; pro potestate ab Admodum R.P.N. Mutio Vitellesco Societatis nostræ Præposito generali ad hoc facta concedo facultatem typis eas mandandi. In cujus rei fidem hasce mea manu subscriptas, & sigillo officij munitas dedi. Antuerpiæ 28. Februarij Anno 1644.

ANDREAS JVDOCI.

Vidit & approbavit Guilielmus Bolognino, S. Th. L. Can. & Lib. Censor Antuerpiensis.

INDEX RERUM.

A

Cur

H

I

Inanis

Lin-

Præ-

Suspi-

F I N I S.

TYPOGRAPHICA.

Menda.	Paginâ.	Lineâ.	Emenda.
illi	16	4 à fine.	illa.
conninnans	21	10. à fine.	concinnans.
ut simile	34	12	*dele* ut.
Expl vimus	44	12	explemus.
plurisque	61	14. à fine.	plerisque.
cit	82	1. à fine.	cito.
Demm	148	11. à fine.	Deum.
habent	152	8.	habens.
affliguntur	162	2.	infliguntur.
separaret	1 8	8. à fine.	separet.
suspiciatur	178	2. à fine.	suspicatur.
perrexit	207	7.	perrexerit.
esse	207	9.	est.
aliquod	224	5.	aliquod vitium
FVFFERENDIS	2 1	11.	SVFFERENDIS.
gernen	251	19.	germen.
peculari	276	1.	peculiari.
júxa	288	3. à fine.	juxta.
particeps.	294	3. à fine.	participes.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4-3-6